Digitized by Google

5 · 6 · 169

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

5.6.169.

Digitized by Google

F. VINCENTII MARIAE
DINELLII
ORDINIS PRAEDICATORUM
CATHEDRATICI CASANATENSIS
AD
CAROLUM NOCETIUM
ET
HIER. LAGOMARSINUM
PRESBB. E SOC. JESU
De Grammatiſticis quibuſdam tricis
EPISTOLAE.

ROMAE, MDCCLVI.
Apud Haeredes Jo: Laurentii Barbiellini.
SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

FR. VINCENTII MARIAE DINELLII ORDINIS PRAEDICATORUM AD CAROLUM NOCETIUM SOCIETATIS JESU THEOLOGUM EPISTOLAE

ARGUMENTUM.

Epiſtolam adverſus Lagomarſinum ſcriptam ad Nocetium ab ſe mitti, dicit. Rogat, ut Lagomarſino reddendam curet, atque hominem hortetur, ne quid deinceps de hiſtoricis rebus ſcribat. Nam de Petro Soto neſcio quid ab eo fuiſſe turbatum, quod cum monumentis, quae ſunt de Synodo Tridentina, pugnet.

Digitized by Google

FR. VINCENTIUS MARIA DINELLIUS CAROLO NOCETIO S. D.

Q Uum Hieronymum Lagomarſinum ſodalem tuum teſtatum publice fuiſſe intellexiſſem: numquam ſe Johanni Vincentio Lucenſi petenti, ut priorem epiſtolam ad te meam refelleret, fuiſſe ſatisfacturum, niſi te, cum eam legeres, ita ridentem, ut paene corrueres, vidiſſet; ſtatui equidem, quod ad eum reſponſionis meo nomine elucubratum ab amicis eſſet,

prius ad te mittere, ut libenter mei cauſſa ridenti tibi novam occaſionem ridendi darem. Quare habe tibi ad eum epiſtolam ſane longam, quam ubi percurrendo riſeris, curabis eidem, ut continuo reddatur. Quod ſi ipſe per te reddideris, ſcito te mihi gratiſſimum facturum. Monebis enim hominem, deinceps ut caveat, ne, cum grammaticus ſit, in quaeſtionibus verſetur Hiſtoricorum. In adnotationibus enim, quas ad *Julii Pogiani Epiſtolarum volumen ſecundum* (nam *primum* deſideratur) copioſiſſimas, etſi non erat neceſſe, perſcripſit, *pag.* 289 Jacobum Echardum *Bibliothecae Dominicanae* auctorem oppugnare aggreſſus eſt; quod Petrum Sotum Theologorum *anteſignanum*, atque eorum imprimis *veluti principem* fuiſſe dixerit, quos Pius IV. Pontifex ad Concilium Tridentum miſit. Nam neque doctrina *principem* Sotum, ait, ſine aliorum injuria, potuiſſe dici, neque dignitate; propterea quod Cardinalis Pallavicinus primum Pontificis in Synodo Theologum fuiſſe ſtatuat Salmeronem. Sed ſi credendum Echardo Dominicano de Soto item Dominicano agenti non eſt; quae me coget ratio, ut Jeſuitae Pallavicino Sal-

Salmeronem Jeſuitam, ſine teſte, Pontificiis Theologis praeferenti credam? Quod ſi ad alienos auctores me provocet & accuratos, & aequales temporum illorum, facile quidem certe perſpiciet, numquam a Pio fuiſſe Salmeronem antelatum Soto. Omnes enim utrumque Theologi Pontificii munus expleturum Tridentum ſe contuliſſe, tradunt plerumque; unum autem alteri *primi* nomine praeſtitiſſe, numquam. Atque extat quidem in *octavo Martenii Veter. Scriptor volumine pag.* 1222. *Diarium Concilii* a Torello Phola de Puggio Cathedralis Eccleſiae Feſulanae Canonico perſcriptum, quo in Diario Soti ſaepe, atque Salmeronis fit mentio. Quam vero diligens Phola in *Actis Synodi* colligendis, deſcribendiſque fuerit, quamque dignus ſit, cui fides habeatur, intelligi ex Diarii prooemio plane poteſt, quo loco: *Lectores*, inquit, *praemonitos velim, me omni prorſus verborum lenocinio, atque orationis candore poſthabito, omnia prout geſta erunt, nequidquam illis addendo, aut detrahendo, veritati dumtaxat ſtudens, haec exactius pertractanda ſuſcepiſſe. Cum autem Tridenti ſemper commoratus ſim, & in aliqua praedictorum parte*

 ver-

verſatus, non deero quaeque commemorare, ut veritati cumulum augeam, quam labore mihi partam, audire cuiquam ſuave erit. In more poſitum ſuit ab initio hujus ſacroſanctae Synodi, ut omnia, quae tractanda a Patribus eſſent, ante Seſſionem, prius in Congregationibus generalibus agerent, cum eadem domi Reverendiſſimi Secretarii Concilii primo conſcribenda traderentur, quo & Capellani, & Secretarii omnes, quorum intererat, Reverendiſſimorum PP. Italorum, Germanorum, Regnorum Galliae, Hiſpaniae, Portugalliae, Poloniae, Hungariae, Bohemiae, &c. omnium continentium inſularum tam Orientalium, quam Occidentalium, & Septentrionalium nationum ad ſcribendum conveniebant.... Interim vero antequam fieret ſeſsio, doctrina; canones, & decreta ſuper eadem re ſanctiſsime ſcripta tradebantur Patribus, quorum omnium articulorum doctrinae, canonum, & decretorum ego Torellus Phola Presbyter, aliis, qui eo ad ſcribendum conveniebant, ab initio praeſentis hujus ſacroſancti Concilii ad haec uſque tempora exemplar mihi ſumens, ac ſcribens legebam, non ut publicus miniſter, ſed quoniam provinciae meae Etruriae lingua

omnium

omnium auribus gratiſſima erat. Et ut omnibus pateat: ſinguli omnium nationum eadem facere, & legere conati, propter linguae barariem, & prolationem non ſatisfeciſse cunctis comperti ſunt, adeo quod me lectorem ſemper habuerunt. Eo enim res pervenerat, ut quando quid ſcribendum foret, me expectantes, ſi illuc ad tempus non perveneram ejuſmodi applauſu reciperent, quo pro expectatiſsimis rebus haberi convenit. Hunc vero meam operam non tam illis, qui intervenerint, quam, qui praefuerint gratiſsimam fuiſse, id mihi fuit optimus teſtis. Nam in fine Sanctiſsimi Concilii & munificentia, & juſsu Illuſtriſsimorum Dominorum Praeſidentium illud mihi dono perbenigne datum fuit, quod numquam animus excogitaſset.
Is igitur vir, qui quae viderat, quaeque ex aliis, qui vidiſſent, intellexerat, in commentarios quam potuit diligentiſſime, retulit, de Salmerone agens; *Alfonſus Salmeronus*, inquit pag. 1270, *Hiſpanus Vicarius Generalis Societatis Jeſu miſsus huc a Summo Pontifice*. Eadem utitur ratione dicendi, quibus in locis de Soto diſſerit. Ac pag. 1291. *Votum*, inquit, *Petri Soti Hiſpani Ordinis Praedicatorum miſſi ad Concilium*

cilium a SS. D. N. Papa. Neque vero ulla aut apud Torellum, aut apud alios Collectores Actorum Concilii, qui ea aetate vixerunt, non periodus dicam, ſed littera eſt, ex qua vel conjectura quiſquam aſſequi poſſit, primum fuiſſe Salmeronem a Pontifice Theologum conſtitutum. Nam quod Salmero primo loco numeratus in quibuſdam Theologorum Pontificiorum catalogis [1] fuerit, id certe argumento eſſe non poterat, quamobrem Pallavicinus *primum Theologum Pontificis* fuiſſe eum appellatum arbitraretur. Niſi forte eos etiam excuſandos Lagomarſinus putet eſſe, qui Soto primas fuiſſe tributas partes dicerent, quod in catalogis quibuſdam temporum illorum priore loco Sotum, ſecundo Salmeronem nominari animadvertiſſent. Atque in veteri quidem catalogo, qui editus cum Synodi decretis *an.* 1736. Patavii fuit, *pag.* 301. primum Soti nomen legitur, deinde Salmeronis.

(1) Apud *Pholam ibid. pag.* 1237.

At primae ſaepe in dicendo tributae fuerunt Salmeroni partes. Quid hoc ad rem? Primus ne igitur Theologus Pontificis fuit Salmero? Annon etiam primas in dicendo partes tenuit interdum Sotus? Eſt in

in Pholae *Diario pag.* 1291. *Die Veneris* xv. *dicti menſis (an.* 1761.) *dixit votum ſuum Petrus Hiſpanus Ord. Praed. primus ſecundae claſſis &c.* Quod ipſum ex Epiſtola Calinii Archiepiſcopi Jaderenſis conſtat, quam paullo poſt deſcribam. Ridiculum eſt, mihi crede, quod tollendarum diſſenſionum, quae oriri de *primatu* poterant, cauſſa, factum a Legatis fuit, eo detorquere, ut id attuliſſe primatum alicui videatur. Nam ſi decretum a Pio IV. Pontifice fuit, ut Epiſcopi in Synodo, ſublatis diſſidiis, ſederent non habita ratione principatus, ac dignitatis [1]; qui tandem Pontifex, Legatique, quod vitandum Epiſcopis caverant, id alicui minorum Theologorum concedendum exiſtimaſſent? Atque ut inter Epiſcopos, qui ante gradum occuparant Epiſcopatus, ſuperiorem locum obtinuerunt decreto Pii [ſalvis tamen juribus, praerogativis, dignitateque Sedis eorum, qui inferiorem tenuiſsent propterea quod recens conſequuti eſsent Epiſcopatum] ſic etiam ſtatutum ab Legatis eſt [ne commemoratis quidem privilegiis, praerogativiſque, quibus Theologus quiſque gaudebat] ut declinandarum perturbationum, confuſionumque cauſſa, Theologi

(1) Apud Pholam *ibid. pag.* 1243. & apud *Labbeum* T. xiv. p. 839. *edit. Taur. Concil. or.*

(1) *Ibid. pag.* 1280.

Pon-

Pontificii *ſeculares* duo primum dicerent, tum duo *regulares*, atque is prior inter eos diceret, qui *doctoratu* fuiſset ſenior. Quamobrem Phola [2]: *Primo*, inquit, *inter omnes Theologos huc miſſos a Sanctiſſimo Domino Noſtro, ut Concilio interſint, hoc erit perpetuum, ut in ſingulis materiis proponendis dicant qualibet vice quatuor tantum, videlicet duo ſeculares, & duo regulares, quos eligent Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Legati, & ita ſucceſſive cum aliae materiae erunt tractandae, alii quatuor ex eodem numero dicent, donec unuſquiſque impleat partes ſuas.* Poſt ubi de ceteris Theologis loquutus eſt, *Ordo*, inquit, *prius loquendi inter eos erit ſecundum antiquiorem eorum promotionem, videlicet, ut qui primus ſuſceperit gradum ſive doctoratus, ſive licentiatus, ſive baccalaureatus, ille etiam anterior dicet, & deinceps alii.* Jam vero quum, ne repugnante quidem Pallavicino, in ſerie *ſecularium* ab Synodo Jeſuitae numerarentur; quid eſſe poterat cauſſae, quamobrem priore loco, dum ventum ad ſuam erat claſſem, Salmeroni dicendum non videretur; quum praeſertim, & ſenior doctoratu fortaſſe, & *Clericus* cer-

(1) Phola *ibid.* pag. 1515.

certe *ſecularis* , & *Vicarius* ſuae Societatis *Generalis* eſſet ? Scribit enim Phola hoc modo [pag. 1270.] *die Mercurii* x. *ejuſdem coepti ſunt examinari articuli, qui ſupra a Theologis minoribus de uſu S. Euchariſtiae in Eccleſia S. Mariae Majoris, quorum primus* (nempe ad dicendum) *fuit R. P. D. Alfonſus Salmeronus Hiſpanus Vicarius Generalis Societatis Jeſu* . Ac τὸ *primus*, quod dicit Phola, de eo, qui prior *dicere ſoleret* , non de eo, qui *praeſtantior Theologi dignitate* eſſet intelligi oportere, cognoſcitur ex verbis, quae mox addit: *Votum Alfonſi Salmeronis Clerici Societatis Jeſu*. Sed quemadmodum in *claſse* ſua primus *ad dicendum* erat Salmero , ita Sotus in alterá prior erat . Id vero paullo ante Pholae teſtimonio demonſtratum eſt . Neque vero quod in claſſi priore Salmero erat , in altera Sotus , in tertia , atque in quarta alii , concludendum eſt, potiorem fuiſſe Salmeronem Theologica dignitate Soto . Nulla enim in claſſibus *praeeminentia*, ut vocant, hoc eſt principatus erat, ut qui in una prior eſset, is praeferendus illi videretur, qui princeps alterius haberetur . Claſſes enim rerum expendendarum erant; non Theologorum, qui res expen-

penderent, dignitatis. Eſt enim in *Diario Concilii* hoc modo [pag. 1307.] *Incipit examinatio articulorum de Sacramento Matrimonii. Die Martis* IX. *Febr. hora* 5. *habetur Congregatio Theologorum, qui coeperunt proferre ſententias ſuas ſuper articulos de Sacramento Matrimonii, primuſque omnium, ex more fuit Alphonſus Salmeronus Hiſpanus Societatis Jeſu, Theologus Summi Pontificis, qui dixit hanc ſententiam .... Die decima Februari poſt Salmeronem proſequuti ſunt Theologi & ſeculares, & regulares ſuper eadem materia de Sacramento Matrimonii ſecundum eorum claſses.* Pag. 1312. *Incipit*, inquit, EXAMINARI SECUNDA CLASSIS. *Die Mercurii* XVII. *hora* XV. *habetur Congregatio Theologorum ſuper examinatione* ARTICULORUM SECUNDAE CLASSIS *de Sacramento Matrimonii, ſuper quibus dixit ſententiam ſuam Petrus Sotus Hiſpanus Ord. Praed.* p. 1314. *Per totum menſem Februarii Theologi minores in Congregationibus proſequuti ſunt eorum diſputationes, & ſententias ſuper eoſdem articulos .... Tertia claſſis ſuper Sacramento Matrimonii* ... & p. 1320. *Quarta claſſis &c.* Quin etiam poſt Soti mortem, conſtitutis claſ-

claſſibus tribus Epiſcoporum, & Theologorum, in priore claſse, quae erat de Purgatorio primus qui fuerit, Phola non innuit; in altera, quae erat *de Imaginibus* Salmero [1], in tertia, quae erat *de Indulgentiis* primus fuit Magiſter Hadrianus Ord. Praed. qui Soto ſucceſserat. Quod ſi perſtat Lagomarſinus, pugnatque nihiloſecius primum fuiſse Theologum Pontificis Salmeronem, afferat teſtimonium aliquod non Pii, quidem, non Legatorum, ſed Scriptoris alicujus illius aetatis, qui Synodo adfuerit, tumque me eſse ſuperatum dicam. Sed [niſi ad Pallavicinum confugerit & recentiorem, & ſodalem ſuum] antiquiorem, non Jeſuitam, reperiet omnino neminem.

Erraſſe tamen Echardum defendet, ut qui ſtatuat primum Pontificis Theologum fuiſse Sotum? Nego enim vero quidquam fuiſse ab Echardo uſquam ſcriptum ſimile. Ille namque, *eo ſe conferre*, ait, *a Pio IV. juſsus eſt Sotus ut Theologorum a Pontifice miſsorum princeps*. Id vero non efficit, primum dignitate inter Pontificis Theologos Sotum fuiſse. Jam vero de doctrinae laude, exiſtimatione virtutis ut Echardum egiſse arbitrer, facit diligentiſſimorum illius aetatis,

tis, qua Sotus floruit, Scriptorum auctoritas, qui Sotum non modo Pontificiorum, ſed etiam omnium Synodi Theologorum principem fuiſse teſtati ſunt. Ac ſi Pholae *in Diario Synodi* (pag. 1339.) *ſuperioribus diebus Frater Petrus Sotus Ord. S. Dominici Hiſpanus vir ſanctis moribus* PRAECIPUUSQUE INTER THEOLOGOS HUJUS SACROSANCTI CONCILII *diem ſuum clauſit extremum*, ſi Cardinali Trucſeſio (*apud Lagom. ibid. pag.* 191.) *habuimus aliquando Romae* MIRIFICUM *illum noſtrum Sotum*, ſi denique Cardinali Hoſio: *tanta fuit* Sotus *fama*, *ut eum ſibi prae ceteris omnibus eligeret* ... *Imperator &c.* ſcribere licuit, cur Sotum *ut principem Theologorum a Pontifice miſſorum* appellare Echardo non licuiſſet? An qui omnibus Theologis Synodi antelatus a Phola, mirificuſque vocatus Trucſeſio eſt; is perpaucis Theologis Pontificiis praeferri ab Echardo non debuit? Atque hoc magis Echardo aſſentior, quo Mutium Calinum Archiepiſcopum Jaderenſem, qui tum Tridenti agebat, de Soto magnifice ſcripſiſſe videam, de Salmerone autem, multo, quam Lagomarſinus ex eo ſperarat, jejunius. Cui me Lagomarſino

puto

puto gratiſſimum facturum, ſi Calini, cujus ille Latinae linguæ ſcientiam admiratus eſt, ſingularem etiam fuiſſe oſtendero in Italice ſcribendo facultatem. Neque vero integram deſcribam epiſtolam, lucubrationemve aliquam ſummi viri. Vereor enim, ne qui moleſtiam ſibi fuiſſe a Lagomarſino creatam dixerunt, quod is in adnotationem unam quinque ipſas Calini lucubrationes tranſtulerit (1); iidem a me etiam agi, expoſtulent, importune. Itaque longae epiſtolae, quam XI. *Kal. Aug. an.* 1562. ſcripſit, parte ero contentus brevi. Eſt autem illa hujuſmodi (2): *Martedì a 20. ore ſi cominciarono le diſpute de' Teologi ſopra gli articoli del Sacrifizio della Meſſa, e il primo è ſtato il P. Salmerone, il quale avendo veduto il termine, ch' era ſtato preſcritto da' Signori Legati di mezz' ora a ciaſcun Teologo, acciocchè non ſi tiraſſero le dicerie in infinito; fece intendere alle Signorie loro Illuſtriſſime, che ſe non gli permettevano di poter parlare, quanto gli fuſſe ſtato ſuggerito dallo Spirito Santo, non era per dire altrimenti la ſua ſentenza, e così biſognò farlo eſente da quella comune legge, della qual eſenzione ſi valſe in tal modo, che fu data a lui ſolo una Congregazione poco meno*

(1) *In Epiſt. Gratiani de Jul. Pogiano pag.* XXIII, *ſeqq.*

(2) Tom. I. p. 190 Cod. Bibl. Corſinae 2231.

no che di tre ore continue; onde ſebbene diſſe di molte coſe buone, nondimeno quella tanta lunghezza le fece parere meno grate. Queſto eſempio fu poi ſeguitato jer mattina dal detto Torres Spagnuolo &c. Ma alle 20. ore poi avemmo il P. Soto, il quale fu udito da tutti con ſomma attenzione, e piacere, perciocchè riſtringendoſi alle coſe più ſoſtanziali della materia, ne trattò con ordine, con dottrina, e con pietà MIRABILE, *ed ebbe grandiſsimo riſpetto di non laſciarſi traſportare dalla copie della coſe fuori del termine conveniente*. Quin etiam tantam fuiſſe exiſtimationem demonſtrat Soti, ut cum orta inter eum, ac Salmeronem contentio fuiſſet, multos quidem Patrum, qui doctiores habebantur fuiſſe, affirmet; in Soti ejuſdem ſententiam propenſiores (1). *Molti de' più intelligenti inclinano alla opinione del Soto*. Atque alium fortaſſe quempiam praeferri Soto Bellarminus tuliſset, non Salmeronem, de quo in *Vita ſua pag.* 41. *Edit. Lovan. an.* 1753. loquens: *Neapolim*, inquit, *miſsus* N. (nempe Bellarminus) *ut recognoſceret ſcripta P. Salmeronis, manſit in ea civitate menſes circiter quinque, videlicet a menſe Majo uſque ad Octobrem, quo tem-*

(1) Idib. Aug. Tom. eod. pag. 197.

tempore legit immenſa volumina praedicti Patris & quotidie afferebat ad Patrem ERRATA, *quae invenerat, vel* IN CITANDIS AUCTORIBUS, *vel in* FALSIS HISTORIIS, *vel in* OPINIONIBUS NOVIS, *vel in* SCRIPTURIS NON RECTE EXPLICATIS, *vel in* DOGMATIBUS *philoſophicis, &* THEOLOGICIS A VERITATE ABHORRENTIBUS, *quamvis pater cum illa audiret* IRASCERETUR, *& defendere conaretur; tamen ſequenti die pacato animo omnia emendabat*. Nam haec, credo, ſibi *a Spiritu Sancto manifeſtata* non putavit Salmero. Multa diſputari in hanc ſententiam poſsent, Sed nolo tibi moleſtus eſse. Interea ſic habeto: Soto numquam patronos, ac vindices defuturos; futuros autem brevi, ut ſpero, non diligentes modo, ſed etiam eruditiſſimos. Extremum eſt, ut te orem, eos mihi ut placare ne graveris, quos proſpicio mihi ipſi iratos fore, quod cum agere me contra Lagomarſinum nolle dixerim; egerim tamen copioſiſſime. Fac enim ſciant, promiſſis quidem ſtetiſse me; illam autem tam longam diſputationem ejus eſſe, qui loquens inducitur, adoleſcentis, non

meam.

meam . Me vero cum ſcriberem ; id quod res erat proponere maluiſse , quam eas ſequi , quae ſunt de dialogis , epiſtoliſque componendis , praeceptiones . Vale .

BK 2

XXI
|
1

FR. VINCENTII MARIAE
DINELLII
CATHEDRATICI CASANATENSIS

AD

R. P. HIERON. LAGOMARSINUM

E SOC. JESU

EPISTOLA.

FR. VINCENTIUS MARIA DINELLIUS HIER. LAGOMARSINO S. D.

I.

QUUM primum rumor ad aures meas pervenit, editum typis eſſe, jamque a nonnullis legi *litterarum tuarum ad Johannem Vincentium Lucenſem exemplum*, quibus meam primam ad Nocetium Epiſtolam refellere dicebaris, equidem vehementer non ſum perturbatus. Numquam enim animum induxeram, ut cum Concinam defendendum ſuſcepiſſem, eumque tot adverſariorum tela fortiſſime excipientem, atque in tanto pugnae incendio prope fumantem viderem, iiſdem ego ignibus circumſeptus ſalvus, atque incolumis evaderem. Recordabar quae Ghezzius

Negat Dinellius perturbatum ſe Lagomarſinianarum litterarum cauſa fuiſſe. Proſpexiſſe namque, ait, ſe, quae in ipſum adverſarii ſcripturi contumelioſe eſſent. Nihil autem ſe contumelias morati. Rebus enim eſſe, non contumeliis reſpondendum.

A 2

zius, quae Gagna, quae Sanvitalius aculeata contra Concinam ipſum ſcripta contoriſiſſent. Veniebat in mentem flagitioſae *retractationis*, quam omnes boni carnificis manu igni tradendam judicaſſent; cumque tacitus conſiderarem, me & doctrina, & morum innocentia praeſtantiſſimo viro multo eſſe inferiorem, non erat plane dubitandum, quin gravioribus vulneribus eſſem confodiendus. Neque tamen animum deſpondebam, aut minus, quam antea, alacriter in optimi viri defenſionem incumbebam. Sic enim ſtatuebam: injurias, & contumelias fortiter, chriſtianeque perferendas; rebus ſi quae eſſent dignae reſponſione, omnino eſſe reſpondendum.

Nihil vero ſe in Lagomarſinianis litteris rerum, conviciorum autem, & contumeliarum atque inanium verborum plurimum reperiſſe. Concedere Lagomarſino ſe latinae linguae ſcientiam. Se de rebus Theologicis, non de grammaticis & egiſſe, & agere

II. Sed ubi primum facultas mihi eſt facta legendi libelli tui, probra quidem, & convicia, quae contemnerem, plurima inveni; aliquid vero, de quo tibi reſponderem, non inveni. Nam cum, omni controverſia Theologica praeterita, litem dumtaxat inſtituas de vocibus, & ſyllabis, idque demum objicias, quod pleraque, quae latine dici non poſſunt, ut latina uſurparim, noli expectare, ut de his rebus tibi reſpondeam, & ea quae reprehendis pugnaciter defendam. Immo vero ſic tecum ſtatuas velim:

lim: me tibi omnino in latine ſcribendi facultate concedere, atque hanc epiſtolam ad te miſſam eſſe voluiſſe hujus confeſſionis grammaticae meae teſtem ſempiternam. Hoc prudentiae meae ratio, hoc res ipſa poſtulabat. Erat enim hominis minime prudentis, cum in diſputatione theologica verſarer, grammaticis controverſiis implicari. Neque enim ignoro, quam inexpiabili imbuta odio, quam plena turbarum, & caedis, quam diuturna ſint bella grammaticorum: quas ſtrages ediderit, quae rurſus vulnera acceperit ſeculo ſuperiore ille grammaticalium bellorum omnium ſignifer, & fax Scioppius; Scioppius, inquam, primum a vobis tantopere laudatus, poſtea in hoſtium veſtrorum numero habitus. Cujus veſtrae repentinae abalienationis cauſſam adfert quidem Arnaldus. Quamquam erit hoc etiam nomine, ſi Deo placet, haereticus, & quidem omnium quot ſunt, quotque fuerunt, teterrimus. Quis autem neſciat, quam multa acerba, atque indigna a Scaligero tulerit Eraſmus. Legi equidem orationes illas duas, quae invectivae aptius dici poſſunt, quam orationes Gregorii Nazianzeni in Julianum transfugam ſanctiſſimae religionis. Ebrium, infamem, parricidam

velle. Non enim ſe commiſſurum, ut cum grammaticis bellum ineat, quos hoſtes eſſe implacabiles noverit.

cidam appellat Eraſmum Scaliger, atque in epiſtola quadam ſua dolet, non appellaſſe meretriculae filium, propterea quod, per ſummum infortunium, ita eſſe ignoraverat. Si quis autem cauſſam quaerat, quamobrem ita in hominem debacchatus fuerit Scaliger, riſum tenere quidem non poſſit, ubi intelligat tanti odii ſemen fuiſſe, quia Eraſmus Ciceronianorum ſectam, edito Dialogo, qui *Ciceronianus* inſcribitur, facete irriſerit. Ita enim ſunt mores grammaticorum, ut ſi cui forte iraſcantur, nullus ſit irae finis, nullus modus. Itaque nullum mihi negotium erit umquam cum terribili natione grammatiorum, quos etiam cum obvios habeo, diligentius ſaluto, quam alios magnae dignitatis viros; neque ſane te quidem, ſi de facie noſſem, Lagomarſine mi, inſalutatum reliquiſſem.

Multo autem minus cum Lagomarſino, qui ſit in eo pugnae genere gladiator exercitatus.

III. An me quiſquam ita ſtultum arbitrabitur, ut tecum decertare velim; tecum, inquam, quem non ignorarem grammaticum eſſe longe omnium praeſtantiſſimum, grammaticum, inquam, non grammatiſtam? Didici enim non illud ſolum inter utrumque diſcrimen, quod tam docte abs Te, eruditeque explicatur in eo libello, quem ante annos quatuor ſcripſiſti adverſus Auc-

cto-

ctorem *Noctium Sarmaticarum*; ſed etiam te omnia omnino verba, ne uno quidem excepto a Cicerone ſcripta memoria tenere. Scripta autem? Immo vero etiam ea, quae temporum injuria, vel hominum negligentia interierunt. Tibi enim debere ſe profitentur Tullii amatores non dico verba, ſed certum verborum numerum, quibus conſtabat exordium orationis in Piſonem [a]. Quis autem novum hoc, tuumque pulcherrimum inventum, ſive divinationem potius non miretur? Quis te quaſi hariolum grammaticorum ad caelum uſque non ferat maximis, veriſſimiſque laudibus? Ad haec, cave putes ignorare me, quam ſis in hoc pugnae genere gladiator exercitatus. Cui enim ignota, atque inaudita ſunt trophaea, & monumenta palmarum tuarum? Teſtis Aretium, ubi ad conterendam Paedagogorum audaciam, ſi qui forte extitiſſent, qui a publicis ſcholis veſtris pueros, praeſertim nobiles, abducere conarentur, Migellum grammaticum (verum ne, an abs te confictum nihil ad rem) terribili exemplo confeciſti. Teſtes Florentini, quorum

(a) Extat *Hieronymi Lagomarſini e Societate Jeſu ad virum Clariſſ. Jacobum Facciolatum epiſtola, qua quid in M. Tullii Ciceronis contra L. Piſonem oratione interciderit, demonſtratur pag.* 21. *Edit. Rom. an.* 1753.

eruditionem, atque doctrinam, publicatis ſermonibus L. Sectani, luculentiſſimiſque abs te animadverſionibus illuſtratis, editis etiam orationibus, ita elevare non dubitaſti, ut ipſi reſpirare diſceſſu tuo videantur. Teſtis Polonia, cui probe multatum dediſti auctorem *Noctium Sarmaticarum*.

Concedere ſumma ſe omnia in re grammatica Lagomarſino.

IV. Atque ego tot exemplis admonitus, ego qui ſingulis diebus *Articulum* e ſuggeſtu explico S. Thomae, qui bene de Chriſto ſcripſiſſe dicitur, at certe quidem, te judice, non latine; ego qui nocturna, diurnaque manu commentarios evolvo, quos perdocte, haud magis eleganter tamen, quam Suareſius, & Vaſqueſius tui, Theologi noſtri perſcripſerunt, ego miſer fraterculus tibi Scioppio Jeſuitae in re grammatica non ſumma omnia concedam? Non fatear errorem eſſe eum, quem Lagomarſinus grammaticus, immo grammaticorum rex, & imperator errorem jubet eſſe? Non me a tanto viro victum, profligatum, debellatum glorier? Ita quidem hac gloria fruar, ut ſi defendere me poſſim, nolim.

Sed fuiſſe aliquos adoleſcentes ex Ordine Praedicatorum, qui ipſum, ut ſe adverſus Lago-

V. Quamquam fateor, cum primum exiit, legique a noſtris coepit libellus tuus, concurſum ad me eſse factum noſtrorum quorumdam adoleſcentium latinae linguae pe-

peritorum, qui hallucinatum te eſse dicerent, quoſque in mea epiſtola reprehendiſſes dicendi modos, eos ſe apud optimos latinitatis ſcriptores inveniſse confirmarent. Quar petebant a me majorem in modum, ut ſcriptum meum defenderem, teque erroris palam arguere ne dubitarem. Atque eorum quidem unus, qui plus ceteris in hoc genere operae, laboriſque conſumſerat, cum iratus, atque aegre ferens ad me veniſſet, ignaviamque, ut ajebat, meam, tuaſque injurias conqueſtus eſset, tum me alloquens: an tu, inquit, novum hunc Ariſtarchum impune habere patiere, qui more vocalium grammaticorum te,amicoſque tuos vexat omnibus contumeliis, iiſdemque in rebus vehementer errat, in quibus te turpiter erraſse vociferatur? Nam ut turbam illam praeteream imperitorum, qui ſe Ciceronianos futuros putant, ſi huic erranti potius, quam tibi vera ſentienti, atque praedicanti credant; quid ſapientes quoſque? Quid ſtudioſos Dominicanorum? Quid ipſos amicos,neceſsarioſque tuos dicturos cenſes, qui eum audiant, circumcurſare Urbem, ac non ſui ſimiles modo, ſed viros etiam doctos adire, ab eiſque majorem in modum petere, ut lecto ſuo illo *litterarum exemplo*,

marſinum eumdem defenderet exhortarentur, imptimiſque unum,cujus longam orationem Dinelius hoc loco proponendam cenſet. Principio cauſſas explicat adoleſcens, quare Lagomarſino ſit a Dinellio reſpondendum.

plo, teſtes eſse velint, non minus ſummae, qua ſe ipſe oſtentat, elegantiae, & humanitatis, quam imperitiae, temeritatiſque tuae; quid inquam, dicturos putas, ſi ex tua epiſtola intellexerint, non ſolum diſſimulaſſe convicia te, quibus acerbiſſimis ab ipſo jactatus eſſes, ſed conceſſiſſe etiam ei latinae linguae ſcientiam, cujus poſt tam vehemens, tamque diuturnum ſtudium vix partem aliquam aſſequutus eſſe videatur? Una, mihi crede, omnium vox erit, te vel Lagormaſini exiſtimatione, celebritate, virtute perterrefactum; vel conſcientia tuorum, non errorum dicam, ſed maleficiorum oppreſſum, eum tibi obſequio placandum exiſtimaſſe, quem veritate, & eloquentia vinci abs te poſſe diffideres. Nec vero hoſpes in hac Urbe verſare, te ut praetereat, quid ille egerit, cum nobis auctoribus rumor de magnis illius erratis increbuiſſet, ad quos ſcripſerit, ut omnes omnium principum, litteratorumque hominum domos concurſans mentitus fuerit, compreſſam demum, contuſam, fractam ab ſe fuiſſe quam tamdiu, tam moderate tuliſſet, impotentiam animi, temeritatemque tuam. Quod ſi tam alieno, ſibique tam adverſo tempore, quo eum permulti Plauti, Teren-

Terentii, Caeſaris, Ciceronis, Salluſtii, Nepotis auctoritate imperitiae, plerique autem omnes maledicentiae condemnaverant, plures fortaſſe ſuorum, aliorum vero nonnullos reperit, qui aut vitia quaedam orationis in tuis ſe epiſtolis deprehendiſſe, aut laeſam abs te fuiſſe Societatem, aut dignum te qui ob incredibilem impudentiam ad triremes mitterere dicerent; quot nunc demum eorum, qui liberi ante fuiſſent, reperiet, qui cum ceſſiſſe te, victumque, ut fateri videris, diſceſſiſſe cognoverint, graviora tibi & errata exprobrent, & ſupplicia comminentur? Ne puta, Dinelli, deinceps tibi contentionem aut cum luſcitioſo Lucumonis ſcriba futuram, aut cum Tabido abliguritore, cujus in theatro pauculis momentis opera omnia perſonuerunt, aut cum iis, qui non conſiderant, ſed quaſi ſortiuntur quid loqui, ſcribereque poſſint, aut cum ventrioſo illo, qui cum ab Homero damnatus eſſet, inque iſtius ſe grammatiſtae fidem recepiſſet, id demum eſt conſequutus, ut & poeta malus, & orator deterior habeatur. Magna in te concitabitur multitudo hominum non imperitorum, & ſemidoctorum modo, ſed etiam doctiſſimorum, quorum impetum neque maximo ani-

animo nocens, neque innocens, etſi fortiſſimus, niſi ſenſu careat, ſuſtinere poſſit. Quamobrem vide, quid agas. Atque ſic habeto: te (ſi in cauſſa tam bona, tanto ſtudio tuorum, conſenſu tam incredibili eruditorum, bonorumque omnium virorum, qui tametſi parcendum obtrectatori, injuriam tamen propulſandam monent, ceſſeris contumelioſiſſimi hominis furori) numquam eſſe, quam certe funditus amittes, famam nominis, exiſtimationemque recuperaturum. Contra ſi aliquos (nam ut omnes numeres fieri omnino non poteſt) ſi aliquos, inquam, errores, quibus ipſe ſe graviſſimis implicavit, collegeris, iiſque deſcriptis, quam ſit illius facultatis, qua tam inſolenter gloriatur, expers oſtenderis; non eam te ſolum, quae de virtute tua eſt, retenturum, ſed etiam duplicaturum opinionem. Itaque aggredere, & ſume tibi ad eam rem tempus, quae eſt a noſtris hominibus non ignorata quidem, ſed neglecta; propterea quod a grammaticis uſurpatam, indignam eſſe judicarent gravitate Theologorum. Atque ut eorum tibi probetur ſententia, per me licet. Sed concedendum amicitiae eſt, ut, qui tamdiu tanta tua, noſtrumque gloria pro ea Theologiae parte, quae eſt de mo-

moribus certaſti, idem nunc depoſita Theologi ſeveritate cum principe ludimagiſtrorum congrediare. Quod ſi cum eo contendere, qui & ſtultiſſimum (1) te, & inſaniſſimum, & hominem *in fornice natum*, atque *in trivio educatum & omni improbitate inſignem* vocet, dedecori tibi futurum arbitrare, illud cogita: contumelias in malum male cauſsae patronum cadere, qui opprimi adverſarium conviciis ſperet poſse, quem intelligat ſuperari ratione non poſse.

Rejicit porro inſcriptionem litterarum Lagomarſinianarum.

VI. Haec cum adoleſcens dixiſset, dedit

(a) Lagomarſinus *in Litter. Exemplo pag.* 30. *quid relinquitur*, inquit, *niſi ut erraſſe Dinellium dicam hominem certe* STULTISSIMUM: *& pag.* 31. *nec intelligit homo inſaniſſimus* (Dinellius) *niſi forte mavult hominem ſe ridiculum, atque divorum oſorem, quam inſaniſſimum dici ... Gaudere vero eum, quod in hominum neque conviciatorum, neque calumnatorum ſocietate vivat, tam eſt incredibile, quam Aethiopem Galatarum, deformem formoſorum, ebrioſum ſobriorum, effrontem verecundorum, denique* quavis improbitate *inſignem proborum ſocietate poſſe gaudere. Et pag.* 36. *Tu tu*, inquit, *Dinelli, quem natum neſciebamus, ſed quandoquidem & Sacerdos, & Dominicanus es ... non proletarium aliquem* in FORNICE NATUM, IN TRIVIO EDUCATUM, *non profeſſione maledicum, non ſine pudore, ac fronte, non denique mente prorſus captum, ac* FURIOSUM *credebamus, aut credimus.* Ibidem *Nefarias* Dinelli *chartas* vocat. *Et pag.* 37. *poſſes, ſi ſolus eſſes, tuo dumtaxat periculo* IMPUDENS *eſſe, cum tam ſit comitatus ...* IMPUDENS *eſſe non potes. Puduiſſe te quidem jam tum illa edentem putabamus, qui nomen tuum* A PUDENDI LIBELLI FRONTE *removiſſes. Et pag.* 40. *Sed de* STULTITIA TUA (Dinelli) *tu videris. Nos de* IMPUDENTIA TUA *videre pergamus.*

dit mihi libellum, quem apertum dextera tenebat manu; atque ut intelligas inquit, contra quem, quibus argumentis, quam ſis juſtam cauſsam defenſurus, conjice oculos in hujus epiſtolae inſcriptionem; lege: *Rev. Patris Hieronymi Lagormarſini Societatis Jeſu litterarum ad Johannem Vincentium Lucenſem exemplum, quibus judicium fertur de aliquot locis libelli Romae menſe Septembris anno* 1753. *vulgati hoc titulo*: *Fr. Vincentii M. Dinelli Cathedratici Caſanatenſis Ord. Praed. ad Carolum Nocetium S. J. Theologum &c. Epiſtolae*. Quam ut legi, ecquam, inquit, hujus in veterum libris inſcriptionem legiſti ſimilem? Sed mitto libros. Quid? Ullus ne umquam fuit auctor latinitatis non malae, qui epiſtolas aut Ciceronis, aut Bruti, aut Planci, aut Caelii, addo etiam Plinii *exempla* eſſe *litterarum* inſcribendas judicaret? Atenim quod autographon non eſt, id Lagomarſinus cenſuit *exemplum* dici oportere. Ridiculum! Quaſi vero autographon ullum veterum illorum ſcriptorum extet. Scilicet hoc reſtat, ut qui minatur, Ciceronis operibus in triginta volumina, quod ajunt, in folio diſtributis ſeſe litteratorum rempublicam oppreſsurum, is ea opera inſcri-

ſcribat : *M. T. Ciceronis operum exempla*.

Quod autem addit, quale tandem eſt? *Quibus judicium fertur &c.* Verum poteſt ne is, qui non mente judicat, ſed litteris, ut ſcribit, acerbitatis, dicteriorumque plenis quemquam antiquorum aut Graecorum, aut Latinorum commemorare, qui his titulorum monſtris delectaretur? Et loqui tamen, ſtatuereque tam confidenter de lingua, de titulis, de libris, de conſuetudinibus & Latinorum, & Graecorum ſolet; quam Terentianus ille coquus in Adelphis *Act.* III. *ſcen.* III. *v.* 72. ſolitus erat de cibis decernere;

> *Hoc ſalſum eſt, hoc aduſtum eſt, hoc lautum eſt parum.* (a)

Pomeum credo, aut Parnaſſios ſocios aureo illo, quod dicimus, ſeculo, non Ciceronem, non Caeſarem, non Salluſtium vixiſſe putat. Nam quae hi relativa nomina uſurpanda in librorum titulis non judicarunt, eadem illi, invitis conſularibus viris, ipſoque Dictatore reipublicae populi Ro-

(a) Franciſcus Pomeus libellum edidit inſcriptum : *Libitina, ſeu de Funeribus epitomes eruditionis volumen* I. *& vol. alterum, in QVO praecipui ſepulturae ritus apud Romanos, Grae.os &c. & QVI etiam num . . . obſervantur a Chriſtianis &c. De Funeribus item animalium adducuntur nonnulla :* QUIBUS *denique epitaphia quuedam ſelecta . .. ſubſcribuntur. auctore P. Franciſco Pomey. Lugd. an.* 1659.

Romani, uſurpaverunt. Taedebat enim circumductores illos *Candidatorum* (a), *ſatores Pomariorum* [b], *Parnaſſi incolas* [c] *Pantheorumque architectos* [d] pervulgata rum illarum inſcriptionum *de fato*, *de republica*, *de legibus* &c. in quibus *nominativi*, *Qui*, *Quae*, *Quod* ne veſtigium quidem reperiretur. Ab eo autem, qui Pomeum ſequutus fuerit, quid expectes, niſi ut Ciceronis libros publicaturus, Ciceronem ipſum fuiſse ſtatuat, & parum fortaſse in excogitandis titulis acutum, & nimium in ſcribendis brevem? Atque haec mecum reputans, ſic afficior equidem, ut facile ſuſpicer, pervertendarum Tullianarum inſcriptionum cauſsa, ſuſceptum ab Lagomarſino

(a) Idem eſt auctor Pomeus libelli qui inſcribitur *Candidatus Rhetoricae*.

(b) Extat item Pomei Libellus inſcriptus hoc modo: *Pomarium latinitatis ... in QUO locutiones Synonymae bene multae earum omnium ferme rerum*, QUAE *quotidianum veniunt in uſum, meliorem in ordinem, utilioremque formam digeruntur. Biturig. an* 1582.

(c) Celebre eſt opus *vulgatum hoc titulo*: *Parnaſsus Soc. Jeſu, hoc eſt poemata* Patrum *Societatis* QUAE *in Belgio, Gallia, Germania, Hiſpania, Italia, Polonia &c. vel hactenus excuſsa ſunt, vel recens elucubrata, nunc primum vulgantur, ſtudioſe conquiſita, accurate recenſita, & in aliquot claſses diviſa*, QUARUM *prima continet epica &c. opus jamdiu deſideratum*, IN QUO *pietas cum ingenio, cum eruditione certat jucunditas. Francof. an.* 1654.

(d) Pomei quoddam extat opuſculum inſcriptum *Pantheon Mythicum*.

ſino fuiſse operum ſummi illius Oratoris illuſtrandorum, ut ipſe dicit, ut autem alii verentur, implicandorum conſilium. Nulla enim edita umquam ab Tullio eſt, in qua τὸ *quibus*, vel τὸ *qui*, vel τὸ *cujus*, vel τὸ *cui*, vel τὸ *quem*, vel τὸ *quo*, vel τὸ *quorum* poſſis offendere, quod tuus iſte Ariſtarchus, ut tamdiu tam multis e libris defuerit, pati vix; ut vero poſthac deſit, ne vix quidem poteſt. Quemadmodum igitur, inquis, a Lagomarſino inſcribentur de *Natura Deorum* libri? Hui? De tam paucis ſollicitus? Una omnium Ciceronis librorum, pauculis verbis aut additis, aut detractis, erit inſcriptio. Nam quos modo nominaſti, ſic ille inſcribi volet: *M. T. Ciceronis librorum ad Marcum Brutum Romanum exemplum*, quibus *judicium fertur de aliquot ſententiis Epicureorum, Stoicorum, & Academicorum*. Qui vero de Divinatione ſunt, iidem deinceps inſcribentur: *M. T. Ciceronis librorum exemplum*, *quibus judicium fertur de aliquot locis libellorum Chryſippi, Zenonis, Cratippi, Panaetii, Antipatri, olim vulgatorum, his titulis &c.* De ceteris nihil attinet dicere. Nam commune omnium erit τὸ *M. T. Ciceronis librorum*, vel *ad M. filium Romanum*, vel *ad Quintum*

fratrem Arpinatem, &c. *exemplum*, *quibus judicium fertur de aliquot locis libellorum vulgatorum his titulis &c.* At multa, dices, in libris de *Natura Deorum*, *deque Divinatione ſunt*, quae non ad Academicos, Stoicos, Epicureos, neque ad ceteros, quos nominaſti ſolum, ſed ad alios etiam pertinent. Quid ad rem? Idcirco ne Lagomarſinus abſtinendum eſse ſibi ab hoc titulorum genere putabit? Annon ille multo plures *ſermonum de querelis Probabiliſtarum*, *quam Epiſtolae* prioris tuae *ad Nocetium* locos in *litterarum exemplo* vexavit, etſi *Sermonum* in inſcriptione ejuſdem *exempli* mentionem fecerit omnino nullam? Quod autem in ſuo libello fecit, id ne cavebit, ne ab ſe fiat in alienis? Ac de *Lagomarſinianarum litterarum* inſcriptione plura fortaſſe, quam neceſſe fuit.

Contemnit epiſtolam, quam ad Lectorem nomine Piſonis Famficeji, ſcriptam, Lagomarſinus *Litterarum ſuarum exemplo* praefixit.

VII. Vide nunc quid ſequatur: *Epiſtola Piſonis Famficeii Veronenſis*. Quis malum! iſte eſt Piſo? Piſonem enim Inſubrem (a) fuiſſe a Cicerone nominatum, ac probe exornatum, atque depexum aliquando legi, Veronenſem nunquam. Sed hunc item Lagomarſinus eſſe Inſubrem ſcribit. Recte. Jam

(a) *Orat. in Piſon. c.* XV. *tom.* VI. *Opp. Cic. Edit. Genev. p.* 194.

Jam patria, genus, mores conveniunt. Somnia hæc quidem. Verum danda Lagomarſino venia eſt. (a) Nam qui verſus quadringentos *ex oratione* Ciceronis in Inſubrem obtrectatorum, ſaltatorumque patronum Piſonem deeſſe commentus eſt, cur non item Piſonem alterum induceret conviciorum ſuorum non approbatorem modo, ſed etiam laudatorem? Ita eſt homo Piſonianus, ut cum uno illo vero Piſone, ſed vetere, contentus non ſit, novum finxerit, qui nullus eſſet. Mirum quod non hunc etiam theatri, pecuniaeque uſurariae defenſorem dixerit, ut ſimilem faceret majorum ſuorum. Vetus enim ille, qui ſymphoniacis, (1) aereque alieno delectabatur, (2) totus theatralis, uſurariuſque fuit. Id etſi in ea Tullii orationis, quæ ſupereſt, parte non legitur; legebatur tamen in ea, opinor, quae vi vetuſtatis conſumta periit. In ea, quae periit parte, dico, non in quadringentis illis commenticiis verſibus, quos tuus iſte non Ariſtarchus, ſed Phalaris grammaticus (qui non notam adponit ad malum verſum, ſed

(1) Cicero orat. in *Piſon.* c. IX. *ſeq.* p. 187. *ſeq.*

(2) Ibid. c. XVII. p. 197. *ſeqq.*

(a) Eſt argumentum Epiſtolae Lagomarſinianae ad Facciolatum, hujeſmodi: *Marci Tullii Ciceronis in L. Piſonem orationis principium, quo caremus, non minus ducentis, & ſexdecim verſibus conſtitiſſe demonſtratur: tum ex media circiter eadem oratione non multo minorem verſuum factam eſſe jacturam oſtenditur.*

ſed armis ſe perſequi adverſarium arbitratur) ſomnians recenſuerit. In litteris enim, quas ad Facciolatum dedit, ut quantum non eruditione ſolum, ſed etiam armis poſſet, oſtenderet, cum fuiſſe aliquos narraſſet, qui verſuum orationis in Piſonem, qui intercidiſſent, numerum definiri defenderent nequire (a), contra quos telis eſſet, tormentiſque pugnandum, tamquam miſſus cum exercitu Imperator eſſet, *recepi me in hiberna*, inquit. *Poſt ſecunda tempeſtate caſtra movi, in hoſtium conſpectum veni, ſigna contuli, victoriam reportavi* (b). Sed hu-

(a) *Lagomarſ. ibid. pag.* 201. *Inveni, inveni, inquit, mi Facciolate. Scripſeram ad te quibuſdam litteris, ſperare me fore, ut quantum ex initio orationis M. Tullii Ciceronis in L. Piſonem periiſſet, poſſem plane demonſtrare &c.* Praeclarum certe inventum, quicum inventa Archimedis compares! Sed pergam, quae ſequuntur, deſcribere. *Cum eadem haec apud doctos quoſdam viros familiares meos commemoraſſem, fuit mihi omnium prope convicio acclamatum . .. ſed cum haud ita multum in itinere progreſſus in quaedam monſtra incidiſſem*, (quid? Clavam ne Hercules is noſter amiſerat?) *cum iis congredi, ac decertare tunc nolui. Videbam enim mihi non cum illis modo, ſed cum aliis etiam hoſtibus deinceps eſſe pugnandum. Nec paucarum horarum pugnam illam, ſed diuturnum quoddam bellum futurum*. Salve Imperator.

(b) Lagomarſinus *ibid. pag.* 203. *Itaque loco tum quidem ceſſi, ſed ita ut receptus honeſtus quidam ille, non turpis fuga videretur*. Prudentiam, providentiamque imperatoriam ſuam nobis narrat. Pergit porro. *Praelium deinde magis opportuna tempeſtate initurus. Retuli me tanquam in hiberna ad commentarios illos meos, multumque & ſudans*. Calida hiberna praedicat. Sudabat homo. Quid calida? Immo vero ma-

hujus Bombomachidis Neptuni nepotis ſummi Imperatoris omnia facinora perſequi non vacat. Redeo ad Piſonem. Jam hunc item Lagomarſinus Inſubrem, & recte ſane, ut dixi, vocat. Sed caſu. Nam ſortito loquitur. Bene perraro, male ſæpiſſime. At eum Veronenſem etiam, ut vidimus, eſse ſtatuit. Quidni ſtatuat? Alioqui ſaepius loqueretur bene, quam ſolet. Verum ſcin' tu, quae cauſſa ſit, quamobrem Veronenſem hunc fuiſſe Piſonem dicat?Id ego tibi explicabo brevi. Nempe, ut qui legunt, a Scipione Maffejo fuiſſe eam epiſtolam perſcriptam arbitrentur. *Anagrammaticum* enim, ſi rem conſideres, *Scipionis Maffeji* eſt *Piſonis Famſiceji* nomen. Jam hoc facile perſpicis. Quod autem Veronenſes in Inſubribus numeret, eo ſpectat, ut ne quisquam malum grammaticum bonum eſſe geographum poſſe putet. Quod ſi Maffeji, quem tanti ab ſe pendi jactat, opera vidiſset, conditam quidem ab Rhetis Veronam, retentamque aliquamdiu fuiſse intellexiſset; occupatam vero ab Inſubribus nunquam;

 con-

maxime frigida. Qui tandem? Quiſquam ne algens, ut ſudet? Ita Lagomarſino evenit Imperatori. *Sudans*, inquit, *& algens, tandem, quae in Piſonianam inchoaveram, Deo favente, perfeci*. At Horatius *ſudavit, & alſit* dixit. Viderit Zaccherius num is Horatii locus *ſi poſſa adattare al paſſo del P. Lagomarſini come la ſella al porco*.

conditam autem multo minus (a). Sed ad quem? inquis, cujus rei cauſsa? quid demum Lagomarſinianus Piſo ſcribit? Rogas? Ad Lectorem. Amicum autem eſſe, ait, iſtius grammatici ſe, exemplumque ejus litterarum, quod caſu quodam in ſuas manus inciderat, legiſse, illudque probaſse, atque publicaſse, ne non ab omnibus & legi, & probari poſset. Quod & non praedicanti Piſoni, ſi modo eſset ullus, facile equidem crederem. Illuſtris enim eſt, maximeque ad rem pertinet Hieronymi a Maffejo (b) deſcriptus locus: *Nullum tam imperitum Scriptorem eſse, qui lectorem non inveniat ſimilem ſui*.

Oſtendit quam ſibi minus Lagomarſinus vel initio ſuarum litterarum conſtet.

VIII. Evolve nunc jam litterarum Lagomarſinianarum exemplum. Miraberis a principio hominis inconſtantiam, mutabilitatemque mentis. Acerrimum ſe rararum & vocum, & phraſeon eſſe inimicum, atque hoſtem clamat. Iſthuc quidem recte, ut volet. Sed vide, ut ordiatur. *Hieronymus Lagomarſinus Johanni Vincentio ſuo.* Quid? τὸ *ſuo* uſquam ne a Cicerone in initiis ipſis epiſtolarum uſurpatum fuit, praeterquam ad libertum, ad liberos, ad uxorem

(a) Maffejus. *Muſ. Veron. pag.* 200. *ſeqq.*
(b) Maffejus *ibid. pag.* 203.

rem cum ſcriberet? At eſt uſurpatum a Caſſio, a Curione, a Lentulo denique, quorum eſt item magna in hoc genere auctoritas. Sit ita plane. Verum ab eorum ſingulis perraro. Nempe ſemel, quod ſciam. Quamquam ab iſto homine quid expectes, niſi ſeſe uti ſaepe in varias formas vertat? Quemadmodum autem in iis libellis, quos olim Arretii, atque Florentiae, ne laceſſitus quidem, maledicentiſſimos edidit, ut latens in paedagogum neſcio quem (a) primum, tum in Lazzarinium (b), Lamium,

 Eduar-

(a) In Libello, quem Italice Lagomarſinus contra Paedagogum Arretinum edidit, ſeſe *Golmarium Pepugies Maſſilienſem* appellavit.

(b) M. Phil. *Pag.* 15. *Edit. Genevenſis an.*1737. de graviſſimo, ſapientiſſimo, optimo, ac nobili viro Dominico Lazzarinio ſcribit hoc modo:*Significatur certe Dominicus quidam Lazzarinius a Murro* (ita de eo agit, qui in Academia Patavina ſumma cum laude rhetoricam docuit) *cujus quidem confidentiſſimi litteratoris, ut hoc obiter moneam, laudatio celeberrimae Patavinae Academiae non ſatis illa quidem honorifica* (quibuſnam? obſecro) *omnibus, qui hominem norant, mirificos riſus eliciens, prodiit Bononiae an.* 1735. De Lamio porro, quem Rullum vocat: *pag.* 16. *Rullus eſt*, inquit, *horum ſermonum princeps perſona. Quis hoc nomine deſignetur, ſcire mihi videor*. Confer *ſerm.* 1. *v.* 115. *ſeqq.* De Corſino autem: *pag.* 15. *Commemoratis*, inquit, *Noriſci logicis, phyſiciſque libris, non reliquiſque hic, ſed ethiciſque dixiſset profecto Lucius, niſi metro heroo ea vox repugnaret. Nam ſi uſquam Noriſcus ineptit, ac plane* DELIRAT, *id in metaphyſicis ſuis libellis egregie facit. Quid? quod ea IMPUDENTIA eſt, ut contumelioſiſſime Probabiliſtarum, quos vocant, ſectam, homo totius probabiliſticae, probabilioriſticaeque rationis* IGNARUS, *atque om-*

Eduardum Corſinium, alioſque viros eruditiſſimos licentius ſcriberet, modo *Golmarium* ſe, modo *Gajum Salmorium*, modo *Philocardium* ita nunc veteris conſuetudinis ſe transformandi memor, & Ciceronis quem paſſim adverſus Gratianum, Thuanumque diſputans crepat, oblitus, Caſſianus, & Curionianus, & Lentulianus, quam Ciceronianus videri mavult. Sed perge, & quae mox addat, conſideremus.

De ratione diſſerendi, qua Lagomarſinus utitur, agit, demonſtratque eſſe inaniſſimam.

IX. *Ita ſe*, inquit, *Nocetii doctrinae, fidei, diligentiaeque ſibi perſpectiſſimae tribuere, ut & de illius recenti cum Dinellio controverſia nihil aliud judicaturus ſit, quam quod ab eo judicatum eſſe intellexerit* (1). Philoſophum tu quidem, Dinelli, reperiſti acutum, quicum de veritatis criterio diſputes

(1) Pag. 5. *Exempl. Litter.*

omnis HUMANITATIS EXPERS *conraſis undique maledictis invehatur? Cui ſcio mirum videri, ſibi non adhuc, (id quod ille, ut magnis inimicitiis inclareſceret, unum ſpectabat) eſſe reſponſum. Sed mirari deſinat, atque intelligat, id ex eo factum eſſe, quod Probabiliſtae nondum in eo ſatis eſſe virium ſtatuunt, ut cum ipſis poſſit homo* INFANTISSIMUS *decertare. Eum tamen ego etiam, atque etiam moneo, deſinat maledicere, atque in poſterum tempus quieſcat. Ni fecerit:* Flebit, & inſignis tota cantabitur urbe ". Haec modeſtiſſimus, mitiſſimuſque vir, qui nemini novit maledicere, Lagomarſinus in Corſinum ſcribit hominem certe doctiſſimum, qui tunc quidem in Academia Piſana logicam, atque methaphyſicam profitebatur, nunc autem ſummum in ordine Scholarum Piarum magiſtrarum gerit. Ille vero, qui invectus in Corſinum tam acriter eſt, qui tandem ſibi a me vexando, indigniſque modis exagitando abſtinuiſſet?

putes. Scilicet inſcienter eos feciſſe cenſet, qui nihil eſſe clarius evidentia dicerent, in qua veri eſſet, falſique judicium. Novam inducit inveſtigandae, dijudicandaeque veritatis notam: *Nocetium*. Fuiſſe item alios fortaſſe dicet, quorum eſſet omnibus perſpecta & fides, & diligentia. Nihilo ſecius eos, quamvis diu laborarint, ſerioque egerint, erraſſe tamen: Nocetium contra ludibundum, & feſtinantem ſcripſiſſe plerumque, erraſſe numquam. Nihil ſe Tullium morari, qui eos reprehenderit, apud quos ſine ratione valeret auctoritas. Se quidem quidquid judicatum eſſe ab *ludibundo*, *feſtinanterque* ſcribente Nocetio intellexerit, ſine dubio judicaturum: adeo Ciceronianus eſſe deſiit. Verum quid deſiit dico? quum etſi Ciceronianus eſſe aliquando conatus ſit, eſſe tamen aliquando, ne coepiſse quidem videatur. Quamquam enim in legendis, interque ſe conferendis, deſcribendiſque Ciceronis libris aetatem contriverit, nihil tamen fere ei Ciceronis adhaeſit aut ſententiarum, aut verborum, ut ſint, qui merito ſtatuant, quod juvenis, ut eſt ab Eraſmo (a) ſcriptum, cum ſe annos decem in Cicerone

(a) Eraſm. In Colloq. *Familiar.* T. I. *Opp.* p. 818. *Edit. Lugd. Batav. an.* 1703. Ju., „ Decem jam annos aetatem contrivi in Cicerone. *Echo*. one.

rone triviſſe diceret, intellexit ex *echo*, idipſum eſſe Lagomarſinum, ſi triginta abs ſe annos in Cicerone ipſo conſumtos dicat; intellecturum. Ac ſi vivus Cicero tales homines, quales ex *echo* juvenis idem audivit; litteras docere non (a) potuit; mortuus demum qui poterit? Sed ne ſuſpicere, me quae de ludibundo, feſtinanterque ſcribente, at diligenti tamen Nocetio dixi, ut Lagomarſinum ſuo egiſſe more, pugnantiaque fuiſſe loquutum oſtenderem, dixiſſe, recita quod proximum eſt. *PAUCIS diebus an horis? reſponſionis neſcio quid* (Nocetius) *LUDIBUNDUS elucubravit, Romamque miſit. Id cum videris, . . . tum quale judicium meum de Dinellii hac epiſtola futurum ſit, facile intelliges. Meum enim ab ipſius Nocetii judicio non diſcrepabit* (b). Meminiſti eorum, quae paullo ante de Nocetii DILIGENTIA conſtituerat. Nunc tenes, quae addit de illo *ludibundo*, *ac paucis horis neſcio quid elucubrante*. Quare hominem & *ludibundum*, & *feſtinanter ſcribentem*, illius opinione, *eſse diligentem* poſse confitendum eſt. Jam vero *elucubratum illud neſcio quid reſponſionis paucis diebus*,

(a) Videndus omnino Cicero *orat. in Piſonem c.* xxx. *pag.* 213. *Edit. Oliv. Genev. Tom.* vi. *Opp.*
(b) *Lagomars. Litter. Exempl. pag.* 6.

bus, *an horis*? *ab ludibundo* Nocetio fuiſſe, facile equidem paterer, niſi eſset *Veritati vindicatae* ſimillimum, quam ſummo Nocetii ejuſdem labore, multorumque adjumentis fuiſse conflatam liquet. Eſt enim ut illa, non contortorum ſophiſmatum modo, ſed etiam barbararum & ſyntaxeon, & vocum pleniſſimum. Verumtamen eſt haec aliquorum conſuetudo, uti ſe (cum in multos, graveſque errores inciderint, & effugere reprehenſionem velint) quod ignoratione rerum fecerint, feciſse ſe ludibundos dicant, ut ſatius ſit errorem fateri, quam ſe tam inepte defendere. Erraſse autem Nocetium certum eſt. Quum enim illud *neſcio quid reſponſionis* Romam miſiſſet, & typis excudi, publicarique juſſiſset, poſtque animadvertiſset, admiſsum ab ſe *ludibundo* erroris *neſcio quid* fuiſse, ſero demum typographo in mandatis dedit, ut quae litteratis viris illius *neſcio cujus reſponſionis* exempla diſtributa fuiſsent, ſibi continuo reddi curaret, ac folium in quo inerat error detraheret, dilaceraretque, ejuſque loco aliud emendatum poneret. Salomonio, (nam typographo id erat nomen) cauſsam quamobrem ſibi exempla reſtitui cuperet, narranti, fuerunt qui reſpon-

ſponderent; numquam ſe commiſsuros, ut ulla ſummi Scriptoris, qualem eſse Nocetium prædicabat, pagina periret. Itaque impetrari ab ſe nullo modo non librum ſolum, ſed ne folium quidem, quod vellet, poſse. Alterum e quo ſublatum, ajebat, errorem, ſi attuliſset, ipſis gratiſſimum futurum. Ille cum extorquere nequiviſset primum, negandum eis alterum non putavit. Quare utrumque obtinuerunt, cauteque ſervant, Nocetianae DILIGENTIAE monumentum. Sed ad Lagomarſinum revertamur. Is de *ludibundo* Nocetio agens: *quum plerique*, inquit, *vehementer illi auctores eſsent, ut Dinellii epiſtolam minime dignam reſponſione judicaret, tamen voluit hunc reſcribendi honorem adverſario ſuo habere* (1). Mirari ſatis hujus viri rationem non queo, qui cum laudare ſe putet ſuos, inſignem illis facit imprudens injuriam. Tam enim eos magnifice de ſe, tamque de aliis abjecte, contemtimque & ſentire, & loqui demonſtrat, ut ſi adverſario reſpondeant, *habuiſse ei honorem* ſe; ſin minus indignum eſse doctrina, perſona, dignitate, majeſtate ſua, reſpondere tam imperito (a), tamque humili arbitrentur. Apella,

(1) Lagomarſ. Ibid. pag. 5. ſeq.

(a) Vide *ſupra pag.* 23. *ſq.* quae Lagomarſinus in Eduardum Corſinum clariſſimum virum ſcribit.

la, credo, illum Philocorax, quo cum ſaepe verſatur, docuit, ut hunc ſuum ſimilem faceret Phariſaeorum, qui tanti ſe pendere ſolerent, uti ſecum comparari ceteros homines negarent poſse. Quid? ſi etiam imitatus fortaſse Syrum eſt, non indignum Piſonis Famficeii theatro coquum., qui Demeam ſenem Micioni fratri iratum, ut eſt in Adelphis Terentii, alloquens *Aċt. III. ſc. III. v.* 41.

Tu, inquit, *quantus, quantus nihil, niſi ſapientia es*:

Ille ſomnium.

Quamquam ſummum Imperatorem, qui militi Nocetium comparare potuerit, quis credat, uti verbis voluiſse coqui? Jam quod de Nocetio ille, idem fere de ſe in Terentii *Eunucho Aċt. III. ſc.* 1. *v.* 20. Thraſo praedicat:

. . . . *Invidere omnes mihi*,

Mordere clanculum: ego flocci pendere,

Illi invidere miſere.

Sed video ſtomachari te, indigneque ferre, ut frontem ferias; propterea quod virum & ſapientem, & gravem, & theologum, qua tu eum ornaſti appellatione, Syrum iſte, aut Thraſonem fecerit. Itaque quae ſunt e Famficejano accepta theatro,

mit-

mittam. Perſequamur, ſi placet, dialectica; cujus facultatis eſse Nocetium funditus expertem fatetur. Quis enim tam malus dialecticus eſt, ut pro congruentibus ſumat, quae ſunt inter ſe vehementer pugnantia? Quid vero tam contrarium, quam ut quis *reſponſione indignum* judicet, quod eſse *dignum* judicet *reſponſione*? Utrumque probaſse Nocetium, idem eſt auctor Lagomarſinus, ut qui ab Nocetio ſcribat, fuiſse epiſtolam tuam & dignam, cum reipſa reſponderit, & minime dignam reſponſione, judicatam. At reſpondit Nocetius non refellendae epiſtolae, quae nihil grave contineret, cauſsa, ſed gratia ornandi tui. Haeccine mihi probari tam abſurda patiar ab auctore accepta *retractationis*, quae per ſummam injuriam ab impoſtore neſcio quo, Concinae attributa, ab *Inquiſitione Romana* damnata eſt? Nam ille item impoſtor, ſcripſiſse adverſus *probabiliſtas* Concinam mentitus eſt, *per avere l'onore di qualche riſpoſta*. Eſt autem hæc, mihi crede, non in viro dialectico, dicam, ſed ne in puero quidem ferenda calliditas. Quis enim non videat, hoc *Retractatorem*, Lagomarſinumque, dum ita diſputant, & ſperare, & cupere, ut lectores probabiliſtam quemque, ſi ar-

ſi argumentis victus non reſponderit; quod cauſsae ſuae diffidens fecerit, fecisſe deſpicientia: ſi autem, quod ſaepe evenit, omiſſis graviſſimis quibuſque rebus, voculas, neſcio quas, particulaſque orationis conſectatus audacter reſponderit, honorandi adverſarii cauſsa reſpondiſse putent? Ab Juvenali profecto, quem eſt Lagomarſinus auctorem ſequutus, cum te *in fornice natum* (1) ſcriberet, *credi a multis fiduciam* didicit, ſat. XIII. v. 109.

(1) Satyr. III. v. 156.

Quum magna malae ſupereſt audacia cauſſae.

Sed etſi concedam, quod fieri omnino non poteſt, te, Concinam, omnes denique *probabiliſmi* oppugnatores nihil ornate, nihil graviter, nihil accurate dicere, deſpicique propterea oportere, quid tamen opus tot monitoribus eſt, quot iſte in litteris ſuis commemorat, qui vos reſponſione dignos judicandos negent, ac *probabiliſtas* ad reſpondendum paratos hortentur, ſuae ut dignitatis, majeſtatiſque meminerint; ſi hos tam eſſe humanos, tamque conſtantes in reſpondendo norunt, ut numquam ſuos contemſiſſe adverſarios videantur? Nae hi probabiliſtae prodigi diſtributores honorum ſunt, ut amicis, ſibique ipſis, qui re-

ſpon-

ſpondendum non arbitrentur, reſpondendo repugnare, quam tacendo tot, tantiſque honoribus ſuos adverſarios fruſtrari malint. Quibus autem rebus, aut verbis honorem contineri cenſent? Contumeliis, credo, innumerabilibus, quibus Concinam, quaſi latrinariam exercuiſſet, cumque ſceleſtiſſimis haereticorum iniſſet ſocietatem, acerbiſſimis lacerarunt, quibuſque teipſum Lagomarſinus eſt turpiſſimis inſectatus, ut non ſolum *ſtultiſſimum*, atque *inſaniſſimum te eſſe* omnium, ſed etiam *in fornice* natum ſcriberet. Niſi enim ita ſe res haberet, tam multae in eorum libris non reperirentur, ut eas diligentiſſimus Eraniſtes, etſi eſt conatus, omnes tamen, ne longa quidem oratione numerando complecti quiverit. Quae cum ita ſint, hoc demum reſtat, ut Lagomarſinus cenſorum illorum Romanorum moroſitatem, inſcientiamque graviter, ac moleſte ferendam putet, qui, cum probari ab ſe Nocetii librum, negaſſent poſſe, niſi ille, quae de *calumniis*, atque *impoſturis* Concinae ſatis comiter ſcripſerat, deleviſſet, imprudentes Concinam ipſum tam magnis honoribus privaverunt. Nam Lagomarſinus, quod ad ſe attinet, quidvis feret potius, quam ut quidquam

quam conviciorum ex ſuarum *litterarum* exemplo tolli ſinat. Non enim committet, ut oppugnatores probabiliſtarum eo tam inſigni, tamque ſingulari honore careant. Eſtque religio cauſſa, quamobrem ſibi a contumelia temperandum non arbitretur. Quum enim Ceſellius in Lucium Sectanum ſatyrarum auctorem vehementer invectus eſſet (a); Lagomarſinus (qui ſumto ſibi Philocardii nomine, ut liberius hoſtem inſectaretur, longa epiſtola ad lectorem, ſui, Sectanique defenſionem ſuſceperat) demonſtraturus, quae ad reſpondendum ratio impuliſſet ſocium ſtudiorum, & acerbitatis ſuae, religionem ei, qui prior laeſiſſet, a piis, doctiſque hominibus fuiſſe injectam commentus eſt. Itaque ſcriptum ab eo fuiſſe *ſermonem quintum*, (b) *quem* idem Lagomarſinus additis co-

 pio-

(a) Ceſellii Italicum poema inſcribitur: *I Piſſeri di Montagna, che andarono per ſonare, e furono ſonati, ragionamento 1. di Ceſellio Filomaſtige in riſpoſta a' quattro ſermoni pubblicati per mezzo delle ſtampe di Ginevra nel paſſato anno 1737. ſotto il ſeguente titolo L. Sect. Q. Filii &c.*

(b) Eſt haec illius ſermonis inſcriptio: *L. Sectani Quinti Filii ad G. Salmorium ſermo v. Adceſſere M. Philocardii enarrationes. Corythi &c.* In epiſtola autem ſermoni v. praefixa Lagomarſinus ſcribit hoc modo: „ Nihil reſpondere Quintus Sectanus conſtituerat, in eoque diu perſeveravit ... Nos vero novo tanti ingenii, ac recenti monumento careremus, niſi ſummi viri, & humanarum, divinarumque

pioſiſſimis *Enarrationibus*, quibus nihil aut acerbius [a] umquam, aut Societati injurioſius [b] vidimus, furtivis, quod ajunt, typis excudi, vulgarique curavit. Atque in his quidem enarrationibus de ſe ipſo tamquam de homine ſanctiſſimo, planeque divino loquitur, hortaturque etiam atque etiam omnes, ut ſuum exemplum imitari

„ que rerum conſultiſſimi opportune interceſſiſſet auctoritas,
„ a quo Lucii mens, atque conſilium totum illud de non reſ-
„ pondendo repente eſt immutatum. Injecta eſt illi ab homi-
„ ne religio &c. „

(a) De Ceſellio ſic loquitur Philocardius *pag.* 13. ejuſdem Epiſt. *O hominem nequam. O hominis vocem carnificis flagello compeſcendam! Tales ne ergo putabat impuriſſimus Sycophanta, atque adpellare non verebatur?* . . .

(b) Quid enim eſſe injurioſius poteſt Societati, quam ſcribere: minime mirum videri, ſi qui conſiliis reguntur Jeſuitarum injuriarum ſint memores, atque oſſifrago baculo utantur? Sed deſcribenda Philocardii verba ſunt. Pag. 17. *ad v.* 19. *Oſſifrago*, inquit, *melius baculo manſueſcere poſſet ſcurra procax. Hoc ego adciderit ne adhuc Ceſellio, neſcio. Sed certe valde verendum eſt, ne adcidat. Quod equidem magis improbare queam, ſi fiat, quam factum mirari. Quum enim ille non modo in Patres Pompejum Venturium, & Hieronymum Lagomarſinum contumelioſiſſime invectus ſit, verum etiam univerſo Jeſuitarum coetui homo* OBSCURISSIMUS, *ac plane* PLEBEJUS *in ipſa Florentina urbe maledixerit: Florentini autem Jeſuitae ſpectatiſſima patriae ſuae, primariaque nobilitate floreant . . . minime mirandum eſſet, ſi quis eorum aut conſanguineus, aut affinis, aut propinquus aliquid de hoc oſſifragio, ad familiae contumeliam vindicandam, cogitaret.* Viden ut Chriſtianus hortator ad patientiam, placabilitatem, pacem, atque erga alios caritatem colendam ſit? Sed attende reliqua. *Quod ſi horum*, inquit, *ſeveritatem Ceſellius evaſerit, num nihil veretur, ne reliquorum,* QUI JESUITARUM OPERA, *atque* CONSI-

ri velint [a]. Quae cum legam, illius ne moderationem, & pietatem, an potius animum demiſse de ſe, abjecteque ſentientem admirer, neſcio. Sed haec alias. Nunc equidem vereor, ne unus aliquis ex genere illo hominum conſultiſſimorum humanarum, atque divinarum rerum, cum reprehenſorem iſtum tuum diutius, quam conſuerat, ſilere animadvertiſset, idque rei probabiliſticae detrimento fore exiſtimaſset, iniiciendam eidem eſse putarit religionem, ut ne ſummam, qua excellit, excogitandorum, contorquendorum, pervulgandorum conviciorum, facultatem longo otio, ac deſuetudine hebeſcere, languereque ſineret. Nam vir optimus ac PROPE DIVINVS auctoritate ductus unius alicujus viri *conſultiſſimi* probabiliſticarum rerum, ut ſibi actione una omnem ex

 ani-

SILIIS UTUNTUR, *cum* IISQUE SUNT eorum merito CONJUNCTISSIMI *indignationem non poſſit effugere?* Pro fidem hominum! Quid eſt, niſi haec ſumma in ſocietatem contumelia eſt?

(a) Lagomarſinus *ibid. pag.* 18. *Imitentur*, inquit, *ipſum illum, quo nemo atrocius ab eodem illo obtrectatore violatus eſt*, P. *Hieronymum Lagomarſinum, cujus hominis* INAUDITAM MANSUETUDINEM *prodi a me hoc loco litteris, poſteritatique mandari, gratum certe bonis omnibus, praeter quam ipſi futurum eſt*. Deſcribit deinde ſuas litteras ad Gronovium, ſtatimque addit. *O hominem ſuſpiciendum! O hominis ſingularem*, AC PROPE DIVINAM VIRTUTEM! *Quam haec non modo* SANCTISSIME, *ſed etiam prudentiſſime ſcripta ſunt*. Haec ille de ſe. Quid nunc expectes, niſi uti ſeſe in divos reponi oportere contendat?

animo ſollicitudinem, ſcrupuloſque, quibus noctes, atque dies punctus, vexatuſque erat, evelleret; quas diuturno ſtudio contumelias collegerat, eas in te univerſas tanta, tamque incredibili largitate fudit, ut nullam ſibi, quam alteri cuiquam ingerat, reſervaſse reliquam videatur. Quo pacto, quam Nocetius invitis cenſoribus conſequi Romae non potuit ornandi Concinae; eam iſte Tridenti conſequutus eſt gloriam ornandi tui. Verum quid jocans haec perſequor, quae tam nugatoria, tamque pugnantia ſunt, ut ne digna quidem ſint commentatione puerorum? Quemquam ne adeo ſtolidum eſse aut cogitem, aut fingam, qui non iram, non furorem &c. ſed moderationem animi, ſed virtutem, ſed religionem, ſed honorandi adverſarii ſtudium cauſsam eſse contumeliarum pugnet? Et clamator tamen iſte moleſtus, tuarumque & phraſeon, & argumentationum contemtor, irriſor, corrector, tam ridiculos, tamque diſtorta mente ſuarum litterarum lectores ſeſe reperturum ſperat, quibus perſuadeat SUSPICI tum ſe maxime, exemplique, quod omnes IMITENTUR loco haberi oportere, cum te *inſaniſſimum, & quavis improbitate inſignem*, ut ſupra eſt demonſtratum, dicat? Paradoxa haec ſunt, po-

portenta, monſtra non diſserentis hominis, ſed quae dicat ne conſiderantis quidem.

Reſpondet adoleſcenti Dinellius, ſibi non cum dialectico, ſed cum rhetore de rebus grammaticis certamen eſſe. Quare rogat, ut miſſa dialectica facere ne gravetur.

X. Hic ego cum vehementius commoveri adoleſcentem vidiſsem, ne quid ex eo gravius in te dictum proficiſceretur, vocandum in aliam quaeſtionem duxi: ac ne puta, inquam, huic ſi reſpondero, aut cum Ariſtotele mihi, aut cum Zenone, aut cum ullo alio dialecticorum pugnam futuram. Omnis enim erit cum rhetore de regulis, praeceptionibuſque grammaticorum contentio. Quare non quo definiat, neque quo partiatur modo providendum eſt mihi, ſed ut auctoritate ductus veterum de latinis vocibus accurate, eleganterque loquatur. Nam quod in Nocetio veri, falſique judicium conſtituerit; quod eumdem Nocetium laudans ſimilem Thraſoni fecerit; quod ſit diligentiam ludibundi, feſtinanterque ſcribentis hominis admiratus; quod libellos aliquot eſse eodem in genere & dignos, & minime dignos reſponſione dixerit; quod non malevolentiam, odium, furorem, ſed virtutem, ſed religionem, ſed honorandi adverſarii ſtudium cauſsam eſse affirmarit contumeliarum; accuſari profecto, ſi dialecticam artem eſset aliquando profeſsus, poſset; cum autem rethoricam diu, dialecticam

ćticam numquam explicarit, moneri; ut recte deinceps ratione utatur, poteſt, accuſari fortaſse, caſtigarique non poteſt. Atque eſse aliquos noſti, qui rhetorice ſcribere idem eſse putent, atque ex re qualibet quid ſequatur, ne conſiderare quidem; propterea quod in altero Ciceronis de *Finibus* libro legerint, artem diſputandi Rhetorum paullo eſse interdum hebetiorem. Quorum etſi non probo ſententiam, tamen non moleſte fero.

Sed contra videtur adoleſcenti. Patitur tamen, deinceps ut de rhetoricis, grammaticiſque rebus agatur. Principio autem Lagomarſinum in rhetoribus numerandum negat.

XI. Ille vero, quid iſthuc ad nos? inquit; quibus cum eo rem eſse vides, qui tuam eſt auſus irridere ratiocinandi artem. Sed ſit ita ut dicis. Quem demum tam hebetem invenies rhetoricum diſputatorem, qui non ſolum non vera, ſed ne veri quidem ſimilia conſectetur? Lagomarſini igitur ſi qua eſt, eam neceſse eſt hebetem eſse ratiocinandi ſcientiam. Nam quod fingit, ſcriptum ſibi ab Johanne Vincentio fuiſse, tibi ut adjumento eſse, tuamque epiſtolam polire ne gravaretur, propterea quod eam multi legere averent, ſperaretque Vincentius, ſi emendatiorem edidiſset, ſibi non poenitendum quaeſtum facturum; tam alienum, tamque abſurdum eſt, ut ferri in adoleſcentulo ex eorum grege, quos iſti *humaniſtas*

ſuo

ſuo more vocant, vix, in rhetorico autem, ne vix quidem poſſit. Quis enim non inconſideratiſſime, aut non incredibiliter dictum putet; petiiſse ab inimico (a) tuo Lagomarſino amicum tuum Johannem Vincentium, ut libellos tuos, qui tuum inimicum urerent, caſtigare, corrigereque vellet; quo emendatiores prodirent, divenderentur, legerentur, eſsentque hoc modo quaeſtuoſiores bibliopolis? A Gabinio ne ut orationem Ciceronis in Piſonem, aut a Marco Antonio, ut Philippicas expoliret, amicos lucri cauſsa petere potuiſse rhetor in concione a ſibilis intactus dicat? Quae igitur cauſsa eſt, quamobrem Lagomarſinum, qui tuam epiſtolam moleſtius, quam Philippicas Tullii orationes Antonius, Gabiniuſque Piſonianam, tulit, & haec nihilominus tam abſurda ſcripſit, habendum eſse in numero rhetorum arbitrere? Quod ſi rhetor is eſt, inventio quidem certe, quae pars eſt prima rhetoricae, non verarum, ut Cicero docuit, aut ſimilium veri, ſed falſarum erit, abſurdarumque rerum excogitatio. Longum eſt de reliquis illius in eam artem peccatis dicere. Hoc dicam. Diſpoſitionem,

(a) Vide *Littérar. Lagomarſ. Exempl. ad J. Vinc. Lucenſem pag. 6. ſeqq.*

quae artis ejuſdem altera pars eſt, perturbationem eſse, illius opinione, potius, quam rerum inventarum in ordinem diſtributionem. Cauſsas enim indicaturus, quae ipſum ad conſutandam epiſtolam priorem tuam impulerunt, ab iis eſt rebus exorſus, quae partim, ut oſtendimus, falſae per ſeſe ſunt, partim adeo involutae confuſione, obſcuritateque orationis, ut intelligi nullo modo poſſint. Rogatum namque ab Johanne Vincentio fuiſſe confirmat ſe, ut *ſi forte de epiſtola tua nolit, at ſaltem de Johannis ipſius in eam animadverſionibus judicare non nolit* [a]. Quid hoc monſtri eſt? Quemquam ne inveniri mente tam abſurda, tamque implicata putem, ut ab eo, qui de animadverſionibus in tuam epiſtolam judicet, non judicari una de tua epiſtola credat poſſe? Quae res namque duae ita comparatae ſunt, ut una probata, altera rejiciatur neceſſe ſit, dividi tandem ita qui poterunt, ut ſi de priore judicium tuleris, nihil judicaſſe de altera videare? Age vero, quae in animadverſionibus non Johannes Vincentius amicus tuus (nullus enim tuorum amicorum eſt, qui appelletur hoc nomine) ſed Lagomarſinus turbat, nonne vehe-

(a) *Lagomarſ. ibid. pag. 6.*

vehementer non cum ſententiis ſolùm tuis, ſed etiam cum verbis pugnant, ut animadverſionibus iiſdem probatis, conſtitutisque, nihil quidquam tuorum queat conſiſtere? At Lagomarſinus cum more *humaniſtarum* figura bis uſurpati verbi *nolim* magno eſſet opere delectatus, maluit *nolim*, *& non nolim* pueriliter; quam ordine, diſtributeque, ut rhetorem decuiſſet, coherentia ſcribere. Cujuſmodi autem illud eſt, quod ſtatim adjungit, videndum ſibi etiam, atque etiam eſſe, ne ſi de Vincentianis animadverſionibus, epiſtolave tua judicet, cum gratificari amico Vincentio velit, offendat ſuum & amicum, & contubernalem Nocetium [a]? Nam quotus quiſque amicorum eſt, qui tribui ſibi plus velit, quam veritati? Deinde laeſum ne ſe quiſquam ab amico queratur eſſe, qui de aliorum libris judicans, non modo illius, cui ſe amicum eſse profitetur, non refellit, ſed etiam probat, ſequiturque ſententias? Jam vero cum tuus iſte rhetor, ut ridere Nocetium epiſtolam tuam legentem [b] vidit (viderat autem ante, quam aggreſsus eſset litterarum exemplum ad Johannem Vincentium

(a) Lagmarſ. ibid.

(b) Ibid. p. 8. *quem* Nocetium *ridentem ſic*, ut *plane corueres* (gravitatem nobis Nocetii praedicat) *egomet vidi*

tium [a] ſcribere) irridere te, inſectari acriter, refellere denique; contra laudare Nocetium decreviſset, quid erat, quod ſibi ab Nocetio metuendum eſse crederet? Et perges tamen, Dinelli, in rhetores referre hominem res inventas non diſtribuentem, neque conſiderantem, ſed quaſi talis ludat, miſcentem, atque jacientem, ut inde, non ea quam voluerit ipſe, ſed quam fors tulerit, exſiſtat oratio? Atque hujus rei illud etiam eſse argumentum poteſt, quod cum vereri ſe dicat, ne te emendans, atque caſtigans, offendat imprudens Nocetium, tam ſe parvi ab ſuis pendi confiteatur, ut iidem non ſolum ipſum non adverſarium experiri, ſed ne defenſorem quidem velint. Niſi enim ita ſe res haberet, quemadmodum metueret, ne laederet, quem tueri, atque defendere aggrederetur? At non placuiſset Nocetio epiſtolam tuam, quod Johannes Vincentius petebat, emendatiorem edi. Falſum omnino. Nihil enim tale Johannes Vincentius umquam petiit, qui nuſquam vixit. Verumtamen detur ſi placet. Quid? Idcircone tum primum, cum animum ad ſcribendum appulit, videndum Lagomarſino etiam, atque etiam fuit, ne offenderet ami-

(a) Vide *pag.* 8, *ejuſd. exempli Lagomarſ. Litter.*

amicum, & ſodalem ſuum? Hoc ſi ita eſt, quo demum ſtupore fatetur, vidiſse ſe, antequam coepiſset ſcribere, morem ſi Vincentio geſſiſset, nihil ſe fuiſse Nocetio allaturum [a] damni? At eſt difficile, inquis, ut rhetor, quamlibet excellens, complecti omnia diſtincte, atque diſtribute poſſit. Quorſum iſthuc? Num cenſes, ei, qui de re quacumque, quod non conſideret, aut quod oppreſsus ſit diuturnitate laboris, agere nonnumquam diſtincte non queat, turbare omnia ſemper, atque confundere licere? Quae autem, quantaque rerum, atque verborum (ne quid de ceteris Lagomarſini ſcriptis dicam) in iſto eſt *litterarum exemplo* confuſio? Jam vero quod Johanni Vincentio mox confirmat, non prohibere ſe, quo minus conſulat exiſtimationi *inimici* ſui; ſatiſne tibi accurate, caſtigate, diſtincte dictum videtur? Ecquem enim chriſtianum, dignum hoc nomine, virum eſse arbitraris poſse, qui ſe cujuſquam inimicum [b] profiteatur? Quod ſi chriſtianus cum ſit, teque non oderit, tuum ſe *inimicum* eſse noluit dicere, cur dixit? Coges me ut illum ordine, diſtincte, ſapienter dicere

(a) *Ibid. pag. 9.*
(b) Lagomarſ. *ibid. pag.* 8. *Poſſum ego*, inquit, . . . *ſi non tela amici mei* INIMICO *ſubminiſtrare &c.*

cere fatear, qui ita res verbaque miſceat; ut velle ſe, quae nolit dicat? Quid? quod etſi nolens, mentiatur tamen? Placere ſibi, laudareque ſe, ait, civem illum tuum, quod te adjuvare ſtatuerit. Quis hoc credat? Eine qui te maledictis deterrere conetur, ne ſcribas, placere, exiſtimem, amicum poſse, tibi opem ferentem, ut polite ſcribere videare? Ejuſdem eſt generis, quod addit: Johanni Vincentio editionem, quam meditabatur, epiſtolae prioris tuae optare ſe quaeſtuoſiorem poſse; fore autem, ſperare vix poſse. Eſt enim utrumque falſiſſimum. Optare namque Probabiliſta editionem alteram antiprobabiliſtici operis Bibliopolis quaeſtuoſam vix poteſt; non ſperare autem quaeſtuoſam, cum omnia prioris editionis exempla breviſſimo tempore divendita fuiſſe noverit, ne vix quidem poteſt. Haec nota ſunt. Componi porro, ut inter ſe queant, quae paullo poſt adjungit, non video. Modo enim Johanni Vincentio, quod petit, concedere ſuae eſſe dignitatis negat, modo ait: ut qui legunt, quid in eo potiſſimum admirentur, neſciant, ſtuporem ne animi, an levitatem. Sexcenta afferri poſſunt hujuſmodi. Quamobrem mihi ſic videtur, ut in leproſi corpore, niſi ul-

ulcus; ita in Lagomarſinianis litteris, attingi a nemine quidquam, non confuſum, aut vanum poſſe. Mitto quae de Nocetii vultu amicis amabili, perfidis truci, atque terribili nugatur. Atque nunc primum intelligo eſse iſtum quidem rhetorem non jam mente dicam, ſed perverſiſſimis oculis. Etenim ſi ſolis perfidis trux videtur Nocetii vultus, homo profecto reperietur nemo non perfidus. Video quid arriſeris; ſed tamen ſic ſe res habet.

Deſcendit ad grammatica, agitque de *Cathedratici* appellatione, deque voce *epiſtolae*, quae legitur in fronte Dinelliani libri.

XII. Verum haec, ut dixi, atque alia perplura praetereo, quod ad grammatica malim deſcendere. Itaque principio Johannem Vincentium offendi, narrat, vocabulo Cathedratici, quod eſt in titulo epiſtolae prioris tuae. Nam inſolens id quidem commenticio illi Lucenſi civi videri, & paullo etiam glorioſius; ſibi autem non videri. Attende quam afferat cauſſam diſſenſus ſui. Quod Hiſpanis, inquit, Theologis licet, ſeſe ut Cathedraticos vocent, ſi Theologiam publice in ſcholis profiteantur; cur Italo munus idem fungenti non liceat? Aſtute. Vafrum es, Dinelli, Ligurem Hiſpanum nactus, qui tueri te appellationibus, phraſibuſque Hiſpanorum, ſi velit, queat. Sed malle Vincentium, fingit, ut *Cathedra-*

drarius, aut *Cathedralicius*, quam Cathedraticus appellere? Quid ipſe? Quid? negat ſe malle. Facete. Sed miror a cive tuo, qui te τοῦ *Cathedratici* cauſſa reprehenderit; non reprehendi etiam Lagomarſinum *Reverendum* ſeſe appellantem *Patrem* (a). An Latinum hoc illi, ſummiſſumque eſt viſum, *Cathedratici* vero nomen non item? Rurſum Ciceroniana ne, ut ceteras praetermittam, vox *Cardinalis*, quam Lagomarſinus interdum adhibuit, habenda eſt? Si autem non eſt, ut non eſt revera, cur ad iſtum Ariſtarchum ſibi eſſe confugiendum Vincentius judicavit, ut emendandum ne, an retinendum *Cathedratici* vocabulum eſſet, aſſequeretur? At dignitates novas, quas ne fando quidem umquam latini veteres audiverant, latinis vocabulis ut explicare non poſſumus, ita ne indicare quidem. Quaſi vero inventi olim apud Romanos fuerint, qui e cathedra ſacra Biblia, libroſque Theologicos interpretarentur, quique non *Cathedraticorum*, ſed alio quopiam vocarentur latino nomine. Quod ſi fuiſſe Philoſophos, qui in ſcholis docerent, quorumque nominibus appellari eos oportere, qui ſunt abs

(a) Ita Lagom. In titulis *Exempl.* Litt. *contra Dinellium*, & *Exempl. Epiſtolae contra Mignonium*.

abs te Cathedratici appellati, dicat; caveat, ne quos aliquando reperiat, qui continuo reſpondendum putent, eadem eſſe *Cardinalibus* imponenda nomina, quibus olim a Romanis vocari ſacrorum ethnicorum Praeſides conſueverant. Sed eſt alterum in Inſcriptione epiſtolae prioris tuae, quod J. Vincentius ferendum non arbitretur. Negat enim in libelli titulo, qui epiſtolam unam contineat, poni abs te *plurali* numero *epiſtolae* debuiſſe. Contra Lagomarſinus *Reverendus Pater* ſcilicet, tuam agit tam acute, tamque ſubtiliter cauſſam, ut vereatur, ne ab Johanne ipſo intelligi non poſſit. Verum nutat extemplo. Urgeri namque ſe, ait, argumentis civis, & amici tui, qui metuit, ne (quod tute Nocetio exprobraſti) numquam ſis facturus epiſtolarum ſcribendarum finem. Quum enim quot ſint abs te epiſtolae ſcribendae non indices, veram ſemper eſſe defendes inſcriptionem libelli tui, etſi numquam ceſses epiſtolas ad Nocetium ſcribere. Sed eſt id totum diſſimile. Quis enim neſciat eos, qui plures epiſtolas ſcripſerint, numquam quot ſcripſerint, in titulis ponere fuiſse ſolitos? An non haec eſt Epiſtolarum Tullianarum cum in aliis pleriſque omnibus, tum in Oliveti po-

poſtrema editione inſcriptio? *Marci Tullii Ciceronis Epiſtolae ad Familiares. Liber* I. Quid? Si ut in ceteris fere omnibus, ita in Barthiana editione, haec ſit Plinianarum epiſtolarum inſcriptio? *Caji Plinii ſecundi Epiſtolae*: ſequaturque deinceps hujuſmodi titulus prioris libri? *Plinii ſecundi epiſtolarum liber* I. Age vero, uſquamne indicavit Cicero quot demum epiſtolae *volumine* illo *Epiſtolarum* Attici, *quod ſub ſignis* (ut lib. IX. *ad Att. Ep.*10. ſcribit) habebat, continerentur? Quod ſi Ciceroni *volumen epiſtolarum* Attici appellare licuit illud, quod non ſolum, quas ab Attico ipſe acceperat, complecteretur, ſed complecti etiam fortaſse, quas accepturus deinceps erat, deberet: cur tibi, qui priorem epiſtolam dediſses, aliaſque, quas paraveras, brevi editurus eſses; hac uti inſcriptione non licuiſſet? *F. Vincentii Mariae Dinellii Epiſtolae*: atque eam, quae prodiiſset prior, *Epiſtolam I.*, eam vero, quae mox eſset ſequuta, *Epiſtolam* II. inſcribere, poſtque III. IV. V. VI., uno verbo, tot demum publicare, quot ſatis ad Nocetianum libellum confutandum eſsent? Nocetius autem, praeter levia illa, ac falſa, quae *Veritatis vindicatae* libro perſequutus eſt, habere ſe alia mul-

multa, quae Concinae opponat, jactans; quid affert, quod eſse inſcriptioni tuarum litterarum ſimile videatur? Ille namque, cum numerandarum *impoſturarum*, earumque Concinae attribuendarum ſingulari, ut eſt abs te demonſtratum, facultate praeſtet; ſi multa ſe alia in Concinae libris, quae reprehendenda ſint, reperiſse clamet, eaque ab ſe excogitata recenſere inſtituat, numquam faciet, ſi volet, ſcribendi finem. Nova enim ſemper comminiſcetur. Haec de te jure dicere nemo poterit, ut qui non plura eſse in libro Nocetii refellenda, ſcias, quam quae ille injuria adſcripſit Concinae. Eſt autem horum, ut quiſque intelligit, definitus numerus, quum infinitus ſit Nocetii commentorum. In infinito autem oram ultimi quiſquam non modo non cernere, ſed ne cogitare quidem poteſt. Quod ſtatim adjungit Lagomarſinus: exiſtimaſse fortaſse te *epiſtolas*, quemadmodum *litteras pluraliter* dici Latine poſse, non minus Lagomarſinianae feſtivitatis argumentum eſt, quam candoris, & fidei. Etſi enim ex epiſtola illa priore tua plane perſpexerat, dici Latine *epiſtolas*, ut *litteras*, non poſse; rem tamen illam, ſi falſo jactaſset, putavit, ſe tibi exhibiturum negotium. Leviora ſunt quae

 de

de *Tomo* miſcet. Sed ea libens praetereo. Non enim quam tu erres, demonſtrant; ſed quam ſit ineptus Johannes Vincentius, quem iſte ſui eſse & ſimilem, & amicum ſcribit.

De argumento epiſtolae Dinellianae praefixo diſputat, oſtenditque injuria fuiſſe ab Lagomarſino reprehenſum.

XIII. Vide nunc quam acute de argumento epiſtolae tuae aut contrahendo, aut omnino delendo diſputet. *Argumenta*, inquit, *epiſtolarum vel nulla praefigi debent, vel debent praefigi breviſſima* (a). Scilicet *epiſtolarum* argumenta corrector praefigit, non *epiſtolis*. Sed quae tanta iſtius eſt levitas, ut cum fas tibi neget fuiſſe, longum argumentum praefigere epiſtolae longae tuae; tum contra veterum & Graecorum, & Latinorum conſuetudinem longum ipſe titulum, ac minime neceſſarium ſuae eſse praefigendum arbitretur? An res tam varias, tamque multas, quae tua epiſtola continentur, breviſſimo argumento indicari lectoribus defendet poſse; notionem autem ſuarum litterarum, niſi inſcriptione ſane longa, informari animo nullo modo poſſe? Deinde cogere ne lectores volet tuos, ut ſi memoria, quae exempli cauſſa, de Tamburino dixiſti, repetere conſtituerint, totam tuam epiſtolam rurſum legant? Sublato autem, aut contracto argumento, quod in-

(a) *Lagom. ibid. pag.* 12.

indicis loco ſit; quemadmodum cognoſcere quiſquam poterit, quo in capite de Tamburino loquare? Verumtamen quid multis eſt opus? Quod non hortatu modo, ſed etiam rogatu virorum doctrina, & dignitate praeſtantiſſimorum feciſti, id omnes abs te ſatis eſſe commode, ſatiſque ſapienter factum confitebuntur. Quid enim grammaticum audiant, quem ita ſuâ abuti ratione cernant, ut cum argumentis, indices etiam, quos *alphabeticos* dicimus, qualeſque fieri hoc tempore tanta & ſcriptorum diligentia, & utilitate lectorum ſolent, e libris eſse tollendos pugnet? Nam ſi argumenta aut nulla, aut breviſſima epiſtolis praefigenda ſunt, quod apud veteres minime fuerint in uſu; quid reſtat, obſecro, niſi, ut indices etiam, quos dixi, funditus tollantur, propterea quod in antiquis codicibus aut breviſſimos reperiamus, aut nullos?

XIV. Sed perge. Miraberis ſingularem hominis eruditionem. Non probat, quod ſcriptum abs te eſt pag. 14. epiſtolae prioris tuae. *Idque tibi, quin neges, aut recuſes non ſolum amici, ſed pene obvii quique publice gratulentur*. Apte namque, atque ex veterum Latinorum conſuetudine eo te

Quaerit deinceps, recte ne adverbium *quin* uſurpatum ab Dinellio fuerit.

 lo-

loco adverbium *quin* uſurpaſſe negat (a). Atque cauſsas, cur neget, indicatas ab Johanne Vincentio fingit fuiſſe in iis litteris, quae numquam ſunt ſcriptae. Ipſe nullas affert. Neque quas afferret, ullas habebat. Itaque *colorem* neſcio quem *Latinitatis* nominat, quo adverbium *quin*, ut abs te uſurpatur, carere dicens, ſuo ſe putat Lectori ſatisfeciſſe. Sed adſit animo, & quo colore hæc ſint Plauti verba, cognoſcat, *in Epid.* Act. III. ſc. IV. v. I. *Cave praeterbitas ullas aedes,* QUIN *roges, ſenex ubi habitat Periphanes Platenius*. Atque haec etiam Salluſtii de Bello Jugurth. pag. 97. edit. Pariſ. ad uſum Delphini an. 1674. *Huic rogationi partim conſcii ſibi, alii ex partium invidia pericula metuentes, quoniam aperte reſiſtere non poterant,* QUIN *illa, & talia placere ſibi faterentur, occulte per amicos &c.* Annon eadem ſignificatione adhibitum hic a Plauto, & ab Salluſtio τὸ *quin* eſt, atque eſt abs te eo loco tuae epiſtolae uſurpatum? Quid? ſi eodem ſit colore τὸ *quin* apud eumdem in libro *de Bello Catilinario*? *Quos quoniam res obtulerat, ſilentio praeterire non fuit conſilium, QUIN utriuſque naturam, & mores,*

(a) *Lagom. pag.* 13.

res, *quantum ingenio poſſem*, *aperirem* (1): & apud Terentium in Hecyra *Act*. 1. *ſc*. 11. *v*. 73.

(1) Pag. 49. ejuſd. Edit.

Sed quam decrerim, me non poſſe diutius
Habere, *eam ludibrio haberi Parmeno*,
Quin integram ibidem reddam, *ut accepi a ſuis*,
Neque honeſtum mihi, *neque utile &c.*

& apud Caeſarem in VII. *de Bello Gallico cap*. XI. (2) *Caeſar Legiones*, *quas expeditas eſſe juſſerat*, *portis incenſis intromittit*, *atque oppido potitur*, *perpaucis ex hoſtium numero deſideratis*, *QUIN cuncti caperentur*; *quod pontis*, *atque itinerum anguſtiae multitudinis fugam intercluſerant*; & apud Nepotem in Timoleontis vita, (3) ubi: *poſt id factum*, inquit, *neque domum ad ſe filium admiſit*, *neque aſpexit*, *QUIN eum fratricidam*, *impiumque deteſtans compellaret*: & in Attici vita (4) *neque ſibi dari facultatem pro dignitate vivendi*, QUIN *alterutram partem offenderet*. Et is tamen ille Lagomarſinus eſt, qui acumen nobis *Latinorum ſuorum oculorum* narrat (5). Credo hercle illum, ſi ejuſmodi oculis in epiſtola tua *colores non Latinos*, ut jactat, vidit; quos in ſuis, eorumque, quos laudat, ſcriptis *colores* Germani-

(2) Pag. 146. Edit. Pariſ. an. 1678.

(3) Pag. 108. Edit. Pariſ. an. 1675.

(4) P. 134.

(5) In exempl. Litterar. T. v. p. 13.

nicos, aut Arabicos viderit, *Latinos* eſſe *colores* putare. Rides? Attende quo ſit *colore* τὸ *quin* ab eo *pag.* 13. quo te loco redarguit, uſurpatum. *Quamquam, inquit, multum amici tui in Latine ſcribendo elegantiae tribuas, ipſumque ſibi plurimum tribuere affirmes, pluſque illum de verbis, quam de rebus, rerumque pondere, ac diſtributione ſolere eſſe ſollicitum; QUIN ſaepe ſententiam, ne verbulum cogatur, concinnioremve ſuo judicio formulam perdere (id quod pleriſque etiam ita videri video) tamen, quam longe ille ab integritate illa, ac perfectione, atque illo Latinitatis colore abſit, de quo Philippus Bonamicus, civis tuus, idemque amiciſſimus meus in aureolo ſuo de claris Pontificiarum Epiſtolarum ſcriptoribus libro pag.* 92. *Rom. Edit. apud fratres Palearinios an.* 1755. *qui nuper in manus hominum venit, veriſſime dicit*, facilius qualis ſit, intelligi, quam explicari poſſe, *quemque illi ipſi, qui ſentiunt, atque intelligunt, quos pauciſſimos eſſe conſtat, neque omnes, neque ſemper, quum maxime velint, atque conentur, aſſequuntur, profecto intelligis*. Quis intelligat? Oedipo, mihi crede, eſt opus. Nam pauciſſimos illos, quos nominat, quovis pignore contendo, haec

ne *ſi velint* quidem, *atque conentur*, intellecturos. Ac ſi *Latino colore* eſſent, a me etiam ipſo fortaſſe intelligerentur. Sed cum a nemine intelligi videantur poſse, alio ut ſint, facile equidem patiar, Latino autem *colore*, nullo modo. Sed pudet me operam in hiſce nugis, quae ſunt de *coloribus*, *oculiſque* Latinis, ludere. At nos ad *aures* ſuas *Latinas* provocat, quae percipiant *Latinum ſonum* (1). Quin etiam *guſtum* paullo poſt, *olfactumque Latinum* dicit. Recte. Expecto *tactum*, ne quem praetermiſiſſe *ſenſum* videatur. Sed metuo, ne ſenſus illius ceteri tam Latini ſint, quam eſſe oculos demonſtravi. Nam cui Terentianus ſonus Latinus non eſt, eum ne ego Latinis eſſe auribus inſtructum credam?

(1) Pag. 15.

Ut etiam τὸ is pronomen.

XV. Qui enim te vehementer accuſat, quod pronomen *is* pro *ille* quandoque adhibeas, quaſi τὸ *is* idem, atque τὸ *talis* Latinis fuerit; Terentium profecto accuſet neceſse eſt, *is* pro *ipſe* ſaepiſſime uſurpantem. Non enim tu *is* pro *ille*, ſed *is* pro *ipſe* uſurpaviſti, cum *is ego ſum* diceres. Nam *is ego ſum*, quod ſcribis pag. 12. in idem atque *ipſe ego ſum* recidit. Eſt vero prior de *ipſo* Terentii locus hujuſmodi: In *Adelph.* IV. IV. v. 18.

.... Ipſe egomet ſolvi argentum.

Alter autem locus de *is*, habet hoc modo ibid. *Act.* 1. *ſc.* 1. *v.* 53. *ſed eſt ne hic ipſus, de quo agebam? & certe is eſt.* Atque ut magis, magiſque videas τὸ *ipſe*, atque τὸ *is* eodem revolvi, ſic habeto: quemadmodum hoc loco *is eſt*, ita alio loco Terentium ſcribere *ipſe eſt*. In Eunucho enim *Act.* v. *ſc.* vi. v. 4.

Sed eſt ne, inquit, *ille noſter Parmeno?*
Et certe ipſus eſt.

Rurſum in *Adelphis Act.* III. *ſc.* IV. *is* pro *ipſe* uſurpat. Quum enim quaerit an ſit *ille* Hegio, quemadmodum loco ſuperiore reſpondet *ipſus*, ita hic reſpondet *is eſt*.

Sed quis illic (hoc eſt ille) *eſt, quem video procul? Eſtne hic Hegio*
Tribulis noſter? ſi ſat cerno, IS hercle eſt.

Si ergo *is*, atque *ipſe* eodem pertinent, ac Terentio *ipſe ego*, quod paullo ante vidimus (Ciceroni autem *ego ipſe*; *in* 1. *de natura Deorum c.* XXII. *pag.* 524. *T.* II. *opp. Edit. Genev. Oliveti*) dicere licuit, quid obſtat, quin dicere perinde tibi *is ego* licuerit? Nam quod iſte jactat *is* idem, atque *talis* ſonare, perridiculum eſt. Senex enim apud Terentium quaerens, ſit *ne ille Hegio*, reſpondenſ-

denſque *is eſt*, τὸ *is* eſt, eodem *ac talis* eſt minime revolvi indicat. De *illo* enim, an *ipſus* eſſet interrogabat, non de *tali* Demea. Noſti autem quam Cicero libenter oratione Terentiana uti ſoleret. Sed quid vis fieri? Ea *Latinis* Lagomarſini haud Latine ſonat auribus. Qua ex re intelligis, quam is gravem Ciceroni injuriam faciat, cum ſuum vocat. *Cicero*, inquit, *ille noſter*. Quid *noſter*? ſi Cicero τὸ *is* pro *ille* uſurpat *Ep*.xi. *ad Brutum pag*. 591. *Edit.Amſtel. an*.1657. ubi: *itaque*, inquit, *Lepidus crudelis in liberos*; *non IS*, *qui Lepidum hoſtem judicat*. Ludimagiſtrum, opinor, fuiſse Ciceronem exiſtimavit, ſuum ut fingeret. Nam iſte quantus quantus nihil, niſi *paedagogia* eſt. Id tu ex orationibus cognoſces, quas edidit plenas puerilium ineptiarum. *Orat*. enim *V*. *pag*. 133. de pugnis ſcholaſticis puerorum diſſerens, quaſi de maximis, graviſſimiſque rebus dicere inſtituiſſet: *Placent*, inquit, *mihi ſubſelliorum illi ipſi gradus*, *atque ordines*, *ut me ingredi quoddam theatrum exiſtimem*. *Placent pendentes parietibus coronae*, *tubae*, *vexilla*: *Placent tam multa illa litterariae*, *tamquam bellicae virtutis inſignia*. *Poenorum leones illi*, *Romanorumque illae aquilae placent*: *tanta magna-*

gna-

gnarum rerum, ut in ſcena ipſa, imitatio placet. Conſeſſus vero ille tam frequens, tam honeſtus, tam ſplendidus tot ingenuorum; mundities, cultus, vultus illi feroculi magnum quiddam, ac praeclarum minitantes, cui tandem poterunt diſplicere? Quanta alacritas? Quanta ſedulitas? Quanta aemulatio? Quae ſpes? Qui timor? quae cura? ... Procedit ecce publicus doctor (nempe magiſter ludi) *Gymnaſii limen ingreditur. Omne murmur, ac ſtrepitus, ſi quis erat, illico conquieſcit. Conſurgitur. Fit honeſtiſſima perſalutatio. Conſiditur, nihil ceſsatur. Jubentur prodire ex adverſis partibus aliquot, tamquam pugilum paria, & in mediam arenam ad certamen, luctamque deſcendere, & memoriter inſigniorem aliquem veterum ſive oratorum, ſive poetarum locum alternis vicibus recitare. Conſiſtunt in medio gymnaſio duae utrimque adoleſcentulorum acies magnorum exercituum inſtar, atque animos gerentes. Datur pugnae ſignum. Confligitur. Recitatur. Qui curſus verborum, Deus immortalis! quae linguae celeritas! quam nulla haeſitatio! ut imminent adverſarii, ut inſtant, ut urgent!* Sed longum eſt omnia deſcribere, quae magnifice de hoc certaminum puerilium genere,

co-

copioſiſſimeque perſequitur. Non minus eſt ridiculum, quod adjungit de Ludimagiſtro. Hunc quaſi cum Caeſare, aut cum Pompejo, aut cum Annibale, aut cum Scipione ſit comparandus, vocat imperatorem, atque [1]: *Quod ubi doctor animadvertit*, *inquit*, *rem plus nimio calere*, *& prope ad internecionem*, *atque exitium adduci*, *furentes auctoritate ſua*, *nutuque cohibet*, *atque*, *ut Virgilianus ille Aeolus*

(1) *Ibid. pag.* 135. *Edit. Orat. Roman. ann.* 1753.

Mollitque animos, *& temperat iras*; *Collaudatiſque victoribus*, *praemioque ornatis*, *& tamquam bonus Imperator*, *ſuorum virtute*, *rebuſque geſtis vehementer laetatus receptui cani jubet*; *ſed ita*, *ut faciat tamen victis certaminis in alio quodam genere poteſtatem*. Non Ciceronem, ſed Syrum hic facetum in Adelphis Terentii coquum imitatur, qui res magnas patrumfamilias nobiliſſimorum cum parvis ſuis conferre non dubitat? Sed hoc inter Syrum, atque Lagomarſinum intereſt. Ille ridens comparat, hic contra ſerio, ut ridendus proinde videatur. Nam coquus ille, cum narrantem audiſſet ſenem *Act.* III. *Sc.* III. *v.* 59. *praeceptorum plenum filium eſſe Cteſiphonem*, *fierique ab ſe ſedulo*, *nihil praetermitti*, *juberi*, *ut ille inſpiciat tamquam in ſpeculum in vitas hominum*,

num, atque ex aliis exemplum ſumat &c. reſpondit v. 7. ſeqq.

.... Quod queo
Conſervis ad eumdem iſtum praecipio modum.
Moneo, quae poſsum, pro mea ſapientia.
Poſtremo tamquam in ſpeculum, in patinas Demea
Inſpicere jubeo, & moneo, quid facto uſus ſit.
Inepta haec eſse, quae nos facimus, ſentio.
Verum quid facias? Ut homo eſt, ita morem geras.

Quid? ſi ne tum quidem Ludimagiſtrum eſſe deſiiſſe Ciceronem exiſtimet, cum conſul eſſet? Se namque magiſtrum ludi cum conſule Tullio confert in ea, quam contra Mignonium edidit, epiſtola refertiſſima contumeliarum. Veretur enim, ne quemadmodum dictum a Catone de Tullio eſt, *quam ridiculum conſulem habemus*, ita de ſe, qui linguam Graecam in Collegio doceat adoleſcentes, dici poſſit, *quam ridiculum praeceptivum patrem habemus* [1]. Sed

(1) Pag. 143. Edit. an. 1753.

Sed hoc vult fortaſſe , *ridiculi* capitis cauſ-ſa habere ſe nonnihil commune cum Cicerone . Quamquam *praeceptivus pater* vehementer erret , Cicero enim ſententioſe , ſalſeque ridiculis utebatur , ac perraro quidem ; contra *praeceptivus pater* Lagomarſinus quaeſitis utitur , neque ex tempore fictis , ſed quaſi domo allatis , ac frigidis . Hujus eſt generis , quod *pag.* 17. poetam *probabilem* cum Theologo *probabilioriſta* conferens , atque neſcio quid inficeti turbans adhibet . Sed de ſtilo *praeceptivi patris* frigido paullo poſt videbimus . Nunc tibi vitio dat , quod ſermones tuos , quos Lucae edideris ; ſcripſeris temet ediſſe Veronae . Hoc ſi alius quiſpiam exprobaſſet tibi , ferrem fortaſſe : ut autem is exprobret , a quo tibi ſumſeris exemplum , qui feram ? Quis enim neſciat, *enarrationes* in L. Sectani ſermones (quas , ſi non eſſent, ſuas tamen iſte , ut ad Gronovium ſcribit, eſſe cuperet) editas non fuiſſe , quod mendax titulus praefert , aut Genevae , aut Corythi ? Multo vero minus ferendum eſt , quod mox adjungit , ſales , quibus ipſe cum ſermones deQuerelis ſcriberes,uſus es, conviciis ipſis eſſe , atque injuriis atrociores .

Quis

Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?

An non eſt ſupra de Lagomarſinianis ſalibus, quam ſint atrociores injuriis demonſtratum? Verum haec mittam. Redeo ad ea, quae etſi frigida ſunt, ipſe tamen ab ſe dicta eſſe putat facete. Igitur ad verſus tuos notas apponit; atque hi ſales, inquit, *proſodiaci ſunt*, hi *grammaticales*, hi *Antoniani*, hi *ironici*, hi *infatuati*, hi *ſublimati*, hoc *alumen*. Quid malum! inquis, id eſt *alumen*? Rogas? Dictum Lagomarſinianum ridiculum de dictis melioribus eſt. At negas te intelligere. Jam hoc noveram. Multarum linguarum peritum hominem eſſe oportet, qui ſibi eſſe perſpecta iſtius viri non ſeria ſolum, ſed etiam ridicula dicta velit. Alioqui homo minime malus, tam argutus non eſſet, quam & eſt, & haberi vulgo ſolet. Sed quid multis te moror? Quod obſcurum eſſe putabat, id te, ut ludificaretur, ex α, quae Graeca littera privans eſt, & *lumen* Latino verbo hybridam vocem compoſuit, *alumen*, quae *non lumen*, vel *ſine lumine*, vel *lumine carens* ſignificaret. Quam vellem equidem Longinus viveret! Jam ei de ſtilo frigido exempla quaerenti, non multum labo-

laborandum eſſet. Haberet enim, mihi crede, exemplorum in libellis Lagomarſinianis theſaurum [a].

De *retexere*.

XVI. Sed de *ſalibus*, quos *proſodiacos ſublimatos*, *ironicos*, *infatuatos* vocat, nihil attinet dicere. *Grammaticales* proponam, ut intelligas, quam multa utatur latina lingua. *Retexere* te pro *retegere* dixiſſe, idque ſal eſſe *grammaticale* nugatur [b]. Sed ne quid in ſe gravius me eſſe locutum queratur, hoc dicam unum: fallitur. Nam ea tu ratione: *peccata retexere noſtra* (c) ſcripſiſti, qua Statius *Theb. l.* IX. *v.* 148. *Sed memor Elyſii regis noxaſque retexens Tydeos* [d], olim ſcripſerat.

Et de *coena divum* vocabulis.

XVII. Verumtamen appellatum, abs te fuiſſe ſacramentum Euchariſtiae, objicit, *coenam divum* [e]. Sed ſi Patres, atque Eccleſia univerſa id *ſacramentum* & *panem Angelorum*, & *Angelorum eſcam* vocat, quid eſt quod idem tibi poetae fas non fuerit *coenam* appellare divum? An fas non eſſe chriſtiano viro contendet, ſanctos Angelos *Divorum* vocare nomine? Id ſi ita eſt, Va-

(a) Vide Lagomar. *Exempl. litter. ad Jo. Vinc. pag.* 27. *ſeqq.*
(b) Lagomarſ. *ibid. p.* 19.
(c) In *Sermon.* 1. *de querel. Probabil. pag.* 4.
(d) Nam Statius τὸ *retexens* eodem ſpectare atque τὸ *repetens, commemorans* oſtendit. Confer etiam *lib.* III. *v.* 338.
(e) *Dinell. ſerm.* 1. *p.* 5.

Vaſqueſios primum, Molinas, Suareſios, qui & *Divum Auguſtinum*, & *Divum Thomam*, & *Divum Hieronymum* nominant, reprehendat, poſtque ſe ad te caſtigandum conferat vocabuli *Divorum* cauſſa.

De verbo *impellere*.

XVI. Longe eſse atrocius crimen, jactat, quod admiſiſti in Baunium. Non enim eum *impuliſse* ſacerdotem, quod tu quidem ſcripſiſti; ſed *licere* dixiſse *ſacerdoti a culpa recenti, ſententia in praxi tuta, ad Euchariſtiae ſacramentum accedere* [a]. Tamen ne tam abſurda defendet, ut eum, qui *licere* tibi, quod ipſi tibi libeat, affirmet; eſſe tibi auctorem neget, id ut agas, quod libeat? Ab eo autem, qui auctor tibi ſit, idem ut agas, impelli te ad id ipſum agendum, dicere, poetae praeſertim, quis vetet? Non enim ſolum qui vi quadam ad rem aliquam perficiendam inducuntur, ſed qui ratione etiam moventur, ii ad rem eamdem, ab eo qui moveat, *impelli* Latine dicuntur. Ac Cicero in eo libro, qui *de ſenectute* inſcribitur: *Nec me ſolum ratio*, inquit, *ac diſputatio impulit, ut ita crederem* [b]. Et in tertio *de Finibus*: *Natura impellimur, ut prodeſse velimus quamplurimis*,

(a) Lagom. *Exempl. litter. in Dinell. pag.* 19.
(b) *C.* XXI, *pag.* 450. *Tom.* III. *Opp. Edit. ejuſd.*

rimis, *imprimiſque docendo*, *rationibuſque prudentiae tradendis* (a). Praetermitto cetera, quae ſane plurima ſunt, ne ſim longior. At Paſchalem, inquit, es imitatus. Numquam ego hominem minus ſibi conſtantem, quam iſtum, vidi. Utor permiſſo. Quid? Eſtne quidquam a Paſchali falſo attributum Baunio? Non eſt. Nam ille Baunii verba deſcripſit, quod ne Lagomarſinus (b) quidem inficiatur, diligentiſſime. Quid eſt igitur cauſſae, quamobrem te vehementer objurget, quod aſſenſus Paſchali fueris? Sed aegre fert homo, quod Paſchalis *propelli ſacerdotes a culpa recentes*, Baunii ſententia, ad Euchariſtiae ſacramentum ſcribat. Os hominis! Quoties dicendum eſt? Ab eo ne non *propelli* ſacerdotem *a culpa recentem* ad ſacrificandum ſtatuet, a quo audiat dici: fas eſſe ei ſacerdoti ad ſacrificandum accedere? Quid eſt, obſecro, niſi hoc cavillari eſt? Atque eſt haec aliquorum conſuetudo, ut lectores in fraudem impulſuri, arrepta plerumque vocula, qua adverſarius utatur, res certas, atque teſtatas implicando pervertere conentur. Verum, quae continuo addat, conſideremus.

(a) C. xx. *pag.* 205. *Tom.* II.
(b) *Loco indic.* *p.* 20.

Paſchalem, inquit [a], *& ego legi, atque ita legi, ut quae in eo legerim, probe meminerim.* (Non hercle aſſentior. Nam qui non meminit, quae ſaepe, ac multum in operibus Ciceronis legit, quo tandem modo recordabitur eorum, quae legerit ſemel in Paſchalis epiſtolis? Niſi forte eorum meminerit, quae ipſi vehementer diſpliceant, quod vera ſint, vulnuſque proinde altius infligant.) *Sic ut veſtra legens, ſingulis prope pagellis, quae ſoletis ab eo ſumta in nos congerere maledicta, memoria repetens recognoſcam.* Falſa omnia. Nam neque noſtra legit, neque, ſi legeret, quidquam nos a Paſchali accepiſſe, intelligeret, nec vero umquam maledictis nos fixiſſe quemquam oſtenderet. Jam vetus haec iſtorum accuſatio eſt, multis a Concina primum, tum a Patuzzio depulſa, quibus nec reſponſum hactenus a Probabiliſtis eſt, & reſpondebitur recte, atque vere numquam. Non enim inani loquacitate, quod eorum quidam antehac fecerunt, ſed adductis verbis Patuzzii, Concinae, reliquorumque Dominicanorum, iiſque comparatis cum Paſchalis locis, demonſtrandum eſt, nihil eos fere in Probabiliſtas non ex illo acceptum

(a) *Lagom. ibid. pag. 21.*

tum attuliſſe. Neque vero ii paucis illis exemplis, locisque, quos irriſit Paſchalis, egebant, ut ſe defenderent; cum tanta ſit copia abſurdarum, monſtroſarum opinionum in Probabiliſtarum libris, ut qui eas omnes recenſere inſtituat, nae is numquam faciat ſcribendi finem. Quod & perſpicuum per ſeſe eſt, & pluribus eſt declaratum a Concina in iis epiſtolis, quas haud ante multo, quam deceſſiſſet, ad Nocetium dederat. At te unum ſaltem mutuatum nonnihil fuiſſe a Paſchali, dicet. Patiar. Quid? Te ne igitur unum vexans: *veſtra legens*; non *tua legens* debuit ſcribere? Intelligo equidem quam rem agat. Sed caveat, ne quae jacit maledicta, in ipſum omnia, inque ipſius redundent caput. Perſequamur cetera. *Legi*, inquit, *& ego Paſchalem, nam trivisſe me, non poſſum dicere* (jam hoc facile credo) *qui ſolitus ſum alios quoſdam auctores, a quibus bene dicendi ars, non maledicendi ratio diſcitur*. Id vero eſt, quod inducere in animum nequeo, ut credam. Quinam illi ſunt auctores? quaeſo. Perſius opinor, aut Juvenalis, a quo *artem* illam *bene dicendi didicit*, te ut in *fornice* natum ſcriberet. Quamquam iſta ſcribens meminiſſe debuerat, neque Gianno-

ni ſe, neque te Sanfelicii eſſe ſimilem. Atque illam ſane *bene dicendi artem* experiundo Lazzarinius, Lamius, Corſinius, Mignonius, ut ſupra oſtendi, cognorunt. Tantane confidentia eſse arbitraris aliquem poſse, ut cum tam mordax ſit, ſe tamen *bene dicendi artem* & didiciſse, & colere audacter clamet? Quod ſi de ſe agens facta, quae numquam ſunt, facta praedicat; ecquid veri de injuriis, quas ſibi, Societatique illatas fingit, diſserens loquetur? Pergit porro: *Quid ergo dicam? ſi quando te, ſi tui ſimiles ſatis digna animadverſione caſtigare voluero.* Cave tibi, Dinelli. Quam metuo, ne iſte ſcuticam adhibeat! Nam ut caſtigare te, tuique ſimiles grammatiſtes alia ratione queat, non video. Sed audi quid dicat. *Hoc dicam*, inquit, *Paſchalis haeretici hominis a vobis lecti* (quid? ipſe non legit? An non ſe legiſse paullo ante dixerat? Quid moleſtus? Dixerat. Sed ita eſt homo; ut eorum quae dixerit, facile obliviſcatur) *atque triti* (Quidni triti? An non eſse liquet, quae ille de *caſuiſtis* eſt perſequutus, veriſſima?) *in Catholicos, ac pios homines maledicta, contumelias, ſarcaſmos, denique calumnias vos Paſchalis lectione iſta veſtra, trituraque didiciſse.* Si vera de

Pa-

Paſchali prædicat, credo equidem ipſum non legiſse modo, ſed triviſse etiam Paſchalis librum. Tam enim uti ſarcaſmis &c. didicit, ut quos legi ſuorum probabiliſtarum ceteros ſuperaſse videatur. Quare de auctoribus actum puto, a quibus didicerat tibi & dicere, & precari bene. Sed quaenam tandem eſt eorum, quos Concina, quos Paſchalis, quos tu ipſe refellis, doctrina, & pietas? *Peccatum ne philoſophicum? an falſi criminis impoſitio? an amphibologiarum uſus? an probabiliſmus*, cujus cauſsa & Medico, Judicique, quod minus ſit veri ſimile conſectari; & Mahumetano in ſua ſuperſtitione, quam probabilem arbitretur, ad extremam uſque ægritudinem manere liceat? an tot monſtra atque portenta opinionum, quae a Pontificibus Maximis Alexandro VII. Innocentioque XI. damnata ſunt? Nam haſce vos opiniones refellere video; pietatem autem cujuſquam, aliudque doctrinae genus, non item. *Scurram* inde Paſchalem vocat. *Cumque illa ipſa*, inquit, *ab illo ſcurra, conviciatore jactata, vel certiſſimis argumentis a viris graviſſimis, atque doctiſſimis centies refutata conciderint, vel diuturnitate ipſa temporis obſoleverint*. Negabunt hoc poſtremum typographi. Nam hi cum continen-

ter novas ejus libelli editiones curent, ſatis oſtendunt, nondum ea, quae idem continet, obſoleviſſe. Erunt praeterea, qui non probent, quae *de ſcurra* blaterat. Sapientis enim, non ſcurrae eſſe defendent, res ineptas, inanes, abſurdas ridendo contemnere. At *a viris graviſſimis*. Quos mihi graviſſimos viros commemorat? Decampium ne, an Danielem, qui onus ſibi liberandorum *caſuiſtarum* ab invidia ſuſceperunt? Utrumque dicet. Quam candide, ipſe viderit, at errans certe ſuo more dicet. Nam ambo contra Paſchalem ſic egerunt, ut cum uſi leviſſimis conjecturis, verborumque inaniſſimis circuitionibus fuerint; quae ſunt a Paſchali ſcripta, non refutarint quidem, ſed confirmaverint. Clara, perſpicua, notiſſima loquor, quae obſcurari nulla tergiverſatione, nulliſque Lagomarſinianis nugis poſſint. Scio tamen, quid queat opponere. Notatas, rejectaſque ab Sede Apoſtolica Paſchalis epiſtolas fuiſſe dicet. Fateor. Sed vexati ab eo ſyſtematis Thomiſtarum de *gratia*, non vero deſcriptarum propoſitionum caſuiſticarum cauſſa. Nam ſunt hae quidem propoſitiones ab eo deſcriptae (modo unam, alteramve demas) incredibili fide, ac diligentia. Quod ſi quid-

quam

quam commemoratione *proſcriptionis* earum epiſtolarum proficere ſe ſperat poſſe, meminerit notatos perinde, rejectoſque Decampii, & Danielis ea de re libellos fuiſſe, quos tam en ſcriptores doctiſſimos, quorumque argumenta graviſſima confidenter vocat. Atque hoc etiam animadvertas volo, Probabiliſtas, qui invehi vehementer in eos ſoleant, quorum liber aliquis damnatus commemoretur, quo in libro agi de ipſorum erratis norint; non modo auctores ſuos, ſed opera etiam illorum ſuſpicere, praedicare, atque ad legendum proponere conſueſſe, etſi eſſe illa Apoſtolicæ Sedis decreto confixa conſtet. Ita Danielis, Decampii, quodque longe eſt gravius, Guimenii libros laudant, deſcribunt, nec vero a quoquam in erroris ſuſpicionem vocari ferunt. Qua de re cum ſit abs te in tuis epiſtolis diſputatum, plura non dicam. Hoc dicam perbreve. Fuerit Paſchalis haereticus, fuerit haereſiarcha, fuerit etiam, ſi placet, atheus. Quid? an qui ejuſmodi eſt, nihil dicere veri, ſcribereque poteſt? Quod ſi poteſt, quid obſtat, quin vera dicenti aſſentiare? Non enim ejus erroribus aſſentiris, ſed veris rebus, quas aliquando ſaltem proponit, atque tuetur. Nam haeretica, ſi qua habet,

decreta damnas, ac deteſtare, ut non modo nihil cum eo habere in re divina commune, neve illius te precibus commendare; ſed eum etiam, ſi poſſis, ne colloquio quidem civili dignari velis. Itaque numquam tu ad preces confugiſti Paſchalis, neque eorum quidquam, quae ille contra doctrinam Thomiſtarum de gratia diſputavit, putaſti tibi eſſe probandum. Vide nunc quid inter te, atque Lagomarſinum interſit. Eum quem addictum eſſe, atque devotum Calvino, propterea que ab Eccleſiae Catholicae ſocietate ſeparatum norat, gratum eſſe Chriſto Servatori poſſe exiſtimavit. Gronovium namque, quis tam eſt audax, tamque inſanus, qui Calvinianum eſſe inficietur? Nihilo ſecius hujus precibus grammaticus iſte tuus ſperavit ſeſe ſempiternam felicitatem conſequuturum. Id vero quemadmodum ſperaſſet, niſi gratum eſſe Deo Calvini aſſeclam credidiſſet? Nam ne in cogitationem quidem cadit, uti ſe quiſquam conſequi beatam vitam confidat poſſe precibus illius, quem ſibi perſuaſerit eſſe inimicum Dei. Quid me aſpectas? an jocari, arbitrare, me? Vera praedico. Nam ſic habeto: Lagomarſinum moderationem animi, virtutem, religionem ſummam ſuam demonſtraturum, epiſto-

ſtolam ad Gronovium ſcripſiſſe, neque ſcripſiſſe modo, ſed etiam Philocardio amico intimo ſuo, nempe ſibi ipſi, ut in L. Sectani ſermonem v. enarrationibus adderet, permiſiſſe. Habet autem in enarratione iv. Lagomarſinus hoc modo: (a) *Fecit caſus quidam, ut epiſtolae quoddam exemplum, quam clariſſimo Abrahamo Gronovio Lugduno Batavi gymnaſii profeſsori primario, & paternae, avitaeque doctrinae, atque eruditionis haeredi familiariſſimo ſuo Lagomarſinus idem Idibus Martiis anno* 1738. *dederat, qua in epiſtola multa ſane, erudite* (Ut de ſe modeſtiſſime agit!) *diſputabantur, ab amico communi, ne non ego quoque aliquid diſcerem, mitteretur. Nihil non in ea epiſtola cognitione, ſtudiiſque hominum digniſſimum reperitur. Sed nos quod ſuſcepimus, id unum hoc tempore agentes, poſtremum modo litterarum caput adſcribemus. Eſt autem hujuſmodi:*
„ Abſoluta jam epiſtola, ac tantum non
„ obſignata, venit mihi in mentem quid-
„ dam adſcribere de quo te fieri certiorem
„ oportere cenſeo. Id autem tale eſt. Pro-
„ diit nuper hic Florentiae libellus, iſthic
„ apud vos, ut mendax prae ſe titulus fert,
„ editus: quo in libello meum, totiuſque
„ So-

(a) Pag. 18.

„ Societatis meae nomen admodum contu-
„ melioſe traducitur „. Magnae erat Gronovio homini Calviniano Societas curae. Quamobrem eum a Lagomarſino de contumeliis in illam a Ceſellio jactatis certiorem factum oportuit. Vidiſtin' unquam grammaticum imprudentiorem? An cum Batavis Societas foedus inierat, ut Gronovius monendus omnino eſſet, quo daret operam, ne quid ea detrimenti caperet? „ Illi occaſio-
„ nem ſermones, ſeu ſatyrae quatuor ele-
„ gantiſſimae, quae ſub L. Sectani Q. Filii
„ nomine, in hujus aetatis graeculorum lit-
„ teraturam generatim ſcriptae, circum-
„ ferri paullo ante coeperant, praebuerunt:
„ quas ſatyras & a me, & contra hujus ur-
„ bis litteratos conſcriptas, neſcio quibus
„ argumentis adducti nonnulli ſuſpicati
„ ſunt „. Ut amphibologiis, falſiſque dictis rem perſpicuam involvere, atque obſcurare conatur, confidens! Jam quid illud eſt *generatim*. An Salvinum, Corſinum, quem Noriſcum vocat, Orſium *nominatim* traducere, idem ac *graeculorum litteraturam generatim* traducere putat eſſe? At in iis ſatyris, enarrationibuſque hi tanti viri, etſi nullo merito ſuo, tamen vapulant. Sed omittamus cetera; illud videamus cujus
cauſ-

cauſſa haec eſt a me inſtituta oratio. „ Peto,
„ *inquit*, a te (Gronovi) majorem in mo-
„ dum, ut eumdem Jeſum Chriſtum meo
„ etiam nomine roges, ne quidquam gra-
„ vius contra auctorem talis libelli ſtatuat;
„ ſed illi, quae contra veritatem, contra-
„ que caritatem admiſit, benigne condo-
„ net, tantumque illi tribuat boni, quan-
„ tum ille mihi, meaeque exiſtimationi ma-
„ li exoptavit; tandemque in caelis utrum-
„ que perpetua in pace conjungat „. Egre-
gium, inquis, advocatum ſibi apud Deum, at-
que patronum ſtatuit. Id certe Ceſellio non
placebit, qui facile intelligit, haeretici
Calviniani precibus, numquam ſe cum La-
gomarſino in caelis eſſe perpetua pace poti-
turum. At neſciebat, opinor, grammati-
cus Gronovium de ſecta eſſe Calviniano-
rum. Etenim ni res ita ſeſe haberet, in jus
certe vocandus, interrogandusque eſſet, quid
de *articulo Symboli* ſentiat, qui eſt de *San-
ctorum Communione*. Erras longe Dinelli.
Non erat, ut dicis, neſcius harum rerum
Lagomarſinus. Nam a Philocardio (qui tam
ipſi eſt conjunctus, ut nemo magis) Grono-
vium eſſe haereticum, ſed non eſſe haereti-
cum appellandum; immo vero (quaſi hae-
reſis Calviniana a ſanctiſſima Religione Ca-
tho-

tholica; ut ſecta Philoſophorum una ab altera erat diſcrepans, diffideat) ex alia eum ſecta eſſe dicendum, recteque proinde ab ſe, utque Evangelium poſtulat, eſſe factum acceperat. Sic enim *pag.* 19. Philocardius ſcribit: *Ego vero Gronovium ipſum, tum reliquos litteratos illos aliam ab Romana ſequutos* SECTAM, (*Sectam* Catholicorum, contra ac leges Eccleſiae praeſcribant, nominat) *quibus quidem epiſtolam legere, ſenſuſque*, PRAECLAROS, AD EVANGELIIQVE NORMAM MIRE EXACTOS *cognoſcere licuerit, vehementer tantae virtutis* (Lagomarſinianae videlicet) *admiratione captos ſimiliter exclamaſse cenſeo, ac celeberrimus Angliae Cancellarius Franciſcus Baccon a Verulamio* &c. Et tamen vir iſte bonus, qui haeretici viri precibus fidat, te, acriter inſectatur, ac lacerat, quod Paſchali interdum, de Caſuiſtarum erratis veriſſime differenti, aſſentiare. Sed elatus ſtudio plura dixiſſe de ea re videor, quam initio conſtitueram. Quamobrem ad propoſitum revertamur.

De ſtemmate num idem, atque inſigne interdum ſonet?

XVIII. Negat fas eſſe (a) *ſtemma* pro *inſigni* latine dicere. Verum ſi Martiali Poetae, cujus iſte in ſcholis epigrammata pueris

(a) Lagom. Exempl. litt. pag. 23.

ris explicavit, *ſtemmatis* vocem ad facinus (a) aliquod, atque ad inſcriptionem (b) etiam, ut aliqui cenſent, ſaxo inſculptam indicandam transferre fas fuit, cur non item ad *inſigne* tibi? cum praeſertim ſtemma latinis velut *inſigne* gentis eſſet, propterea quod contineret, exhiberetque majorum (c) imagines.

De odivi, an dici perinde ac odi latine queat?

XIX. Negligit praeterea τὸ *odivimus*, quod tu *pag.* 7. adhibuiſti prioris ſermonis tui. *Sal eſt*, inquit (1), *Antonianum*. Unum enim Marcum Antonium dixiſſe *odivi* pugnat. Feram id equidem. Non enim eſt otium, dixerint ne alii, an non dixerint, quaerere. Sed quod Antonius aureo illo ſeculo in epiſtola ſoluta uſus oratione ſcripſit, id ne tu in carmine poeta non ſcriberes? An eſt uſquam negatum a Cicerone eam vocem eſſe latinam? Neque enim reſervatum grammatiſtae a veteribus eſt, ut quod rejectum ab illis non fuiſſet, id iſte & novus, & minus, quam putet, in grammaticis exercitatus rejiceret. Quod ſi *Latinum* id non eſse vocabulum putaſſet Tullius, ut vocem *piiſſimus*, quam latinam non eſse arbitrabatur, quamque An-

(1) *Lagom. ibid. pag.* 23.

(a) *Lib.* I. 16. (b) *Lib.* X. *in Gall.* 56.

(c) *Lib.* IV. 40. *Atria Piſonum ſtabant, cum ſtemmate toto. Confer Statium* III. *Silv.* III. 44.

Antonius adhibuerat, reprehendit, ſic τὸ *odivi*, quod in eadem erat Antonii epiſtola, reprehendiſset? Quod cum non fecerit, perſpicue palam eſt, illum profecto id vocabulum latinum eſse judicaſse (a). Sed non conſtat, incorrupta ne ſit ea in Antonianis litteris lectio. Scite id quidem. Nempe *Antonianum* confidenter vocat, quod neſcire ſe confitetur, an ſit tribuendum Antonio. Verum quid iſte turbet, ac miſceat, non laboro. Sic autem ſtatuo: quod in caſtigatis, probatiſque Ciceronis operum editionibus legitur, id quemque ſequi ſatis tuto poſse. Nam hoc etiam reſtat, ut qui accuſari abs te oportere caſuiſtam nullum decrerunt, cujus ante operum non editiones ſolum omnes; ſed etiam omnium editionum exempla non legeris, in eorumque ſingulis locum non deprehenderis, cujus cauſsa tibi accuſandus videtur (b); iidem nullam tibi latinam vocem probandam ſtatuant, quam non in univerſis exemplis libri cujuſpiam a Cicerone perſcripti offenderis. Scilicet coget iſte te, ut miſſis graviſſimis, atque optimis ſtudiis in voculis unius linguae conquirendis, codicibuſque continenter inter ſe con-

[a] Conſ. Orat. Cic. *Philippicam* XIII. c. XIX. *p.* 561. & *p.* 562. T. V.
(b) Jam hoc ſibi velle Nocetius videtur in ſuis reſponſionibus, quo loco de Amici Probabiliſtae ſententia diſputat.

conferendis tam, quod ipſe ſe facere profitetur, miſere conſumas:

XX. At enim *in cauſſa fuit, ut*, quod tu quidem *pag.* 7. ſcribis, latine dici nullo modo poteſt (a). Nam *Sal eſt*, inquit, *grammaticale*. *Non* in cauſsa, *ſed* cauſsa, aut cauſsae eſse *latine dicimus*; *neque tum particula* ut, *ſed cur*, *quare*, *quamobrem adhibenda eſt*. O ſummum grammaticum, cui committas adoleſcentem, ſi quem forte in hoc diſciplinae genere recte inſtitutum velis! Quid? an Cicero *in cauſſa ſunt* nuſquam dixit? Miror hercle hominem, qui memoria tenere ſe dictitet, quae in Paſchalis epiſtolis ſemel legerit, non meminiſse eorum, quae ſaepe legerit in epiſtolis Ciceronis. Cicero namque in prioris libri epiſtola 1. ad Familiares, aegre ſe ferre dicens, quod Lentulo ſatisfacere nequiret: *Ego*, inquit, *quia non idem in tua cauſſa efficio, vitam mihi eſse acerbam puto*. *In cauſſa haec ſunt*. *Ammonius regis Legatus aperte pecunia nos oppugnat* &c. (1) Viden' ut Tullius cauſsam, quamobrem non idem efficeret, Ammonium regis Legatum fuiſse affirmans &c. *in cauſſa haec ſunt* ſcripſerit? Provocabit, opinor, ad Facciolatum Lagomarſinus, ut ſolet, demon-

De verbis in cauſa eſt, ut idem ne ac cauſa eſt cur, vel quare ſignificet?

(1) *Pag.* 1. T. VII.

(a) Lagom. *ibid. pag.* 23.

monſtrabitque, exemplum ad *vocem cauſſae* ab eo in Lexico, quod exemplum ad rem pertineat, afferri nullum. Sed etſi eo in loco nihil tale Facciolatus habeat, habet tamen Tom. I. *Calepini ſeptem linguarum pag.* 331. *Edit. Patav. an.* 1746. *ad V. Facio*, ubi: *Item*, inquit (verbum facio ſonat), IN CAUSA ESSE, *ſeu efficere*. Quid clarius? Quod ſi in Facciolato, quem ut principem colit Grammaticorum, ferendum id eſt, quid eſt quod in te putet eſſe reprehendendum? At non licet particulam *ut* cum *cauſſa eſt* pro *cur*, aut *quare*, aut *quamobrem* conjungere. Ita ne vero? An ne *quod* quidem? Verum Cicero in I. ad Familiares lib. epiſt. VII. (1) *Quod ſi rarius fiet*, inquit, ... *id erit cauſae*, QUOD *non ejus generis meae litterae ſint* &c. Cur ergo τὸ *quod* praetermiſit? Quin etiam Plautus *Aulul. Act.* I. *Scen.* II. *v.* 14. *Nec cauſae*, inquit, *quid ſit*, QUOD *te quiſquam quaeritet*. Quid? ſi quin etiam adhiberi poſſit? Confer Stephani Theſaurum ad v. *quin*. Sed quid multis opus eſt. Inſignis de *ut* locus extat apud Ciceronem in VIII. *ad Atticum libro epiſt.* XII. *pag.* 338. *Tom.* VIII. *Hujus autem epiſtolae ea cauſa eſt, ut ne quis a me dies intermittatur* &c. Adde Plauti locum in *Capt. Actu* II. *ſcena*

(1) *Pag.* 13. *T.* VII.

na ſecunda verſu ſeptimo, qui eſt hujuſmodi: *An vero non juſta cauſſa eſt, ut vos ſervem ſedulo?*

XXI. Neque felicius de *dudum* agit, quod pro *jamdudum*, & *jampridem* uſquam ab Latinis uſurpatum negat (1). Terentius enim non de recenti re, ſed de tempore longinquo interdum, τὸ *dudum* adhibet. In *Andria* namque *Act*. V. *ſc*. 1. v. 4. *ſq*.

> *Immo enim quammaxime*, inquit, *abs te poſtulo atque oro, Chreme,*
> *Ut beneficium verbis initum* DUDUM, *nunc re comprobes*.

De ad[illegible] *dudum*, [illegible] [illegible] ac *jamdudum* quandoque [illegible]

(1) [illegible] p. [illegible] 3.

Vide *Act*. III. *ſcena* 3. v. 2. *ſqq*. quo ex loco, quam id *dudum verbis initum* fuiſſet, cognoſcitur. Verſu enim 13. Chremes Simonem alloquens ea de re, his utitur verbis.

> *Alium eſſe cenſes nunc me, atque*
> OLIM *cum dabam*.

Praeterea Cicero *in libro de Claris Oratoribus* c. LXXII. *pag*. 466. *T*. I. *opp*. *Nec id ſolum domeſtica conſuetudine, ut dudum de Laeliorum, & Muciorum familiis audiebamus*. Itaque Robertus Stephanus in *Theſauro Linguae Latinae ad v. dudum*: *dudum*, inquit, *etiam de longinquo tempore dicitur*.

XXII. Nunc Lagomarſino rem gratam facturus, finge, Dinelli, Ludimagiſtrum eſſe te,

De vocibus *ſentire caveto*, & de ſupino *re-*

 at-

manſum, de *Aquino* pro *Aquinate*, & de vocibus *ſus deque*.

atque chlamydatum, pileatumque in ludum ingreſſum, *honeſtiſſima* excipi *perſalutatione*, poſt ſcuticam arripere, jubereque, ad te ut unus aliquis adoleſcentulorum, quos iſte in oratione, ut vidimus, quinta deſcribit, *vultu ferocu lo*, propius accedat, atque hunc tecum dialogum inſtituat. *Dinell.* Cenſen dici latine eleganter, a poeta praeſertim poſſe, *ſentire caveto*? *Adol.* Non cenſeo. *Dinell.* Quamobrem? A. Noſter hic *ſal* eſſe ait *grammaticale*, *ſentire caveto*, pro *caveto ſentias*. *Dinell.* Quid? hiccine ut ſeſe cum bonae Latinitatis auctoribus comparari ferat? A. At nego τὸ *caveto* conjungere poetae cum infinitivi modi verbo licere. *Dinell.* Eſt apud Virgilium *Eclog.* IX. v. 24. *ſq.*

.... & inter agendum

Occurſare capro, cornu ferit ille, *caveto*.

Et apud Horatium *in Poetica* v. 168.

Commiſiſſe cavet, quod mox mutare laboret.

Quare vapula. Mane. Probaſne, quod in meo ſecundo ſermone ſcripſi (1): *poſt ſacra remanſum*? A. Non probo (2). *Din.* Cur? A. Quia *remanſum* Italis *rimaſticato* eſt. *Din.* Ergo iſthoc magis, quia inepte jocare, vapula. Nam ſi *remanſum rimaſticato* Italis eſt, cur non item *manſum* Italis *maſticato*

(1) P. 4.

(2) Exempl. litt. p. 26.

cato erit ? Eſt enim ex *manſum* , & praepoſitione *re* (ex *retro* per apocopen , ut videtur facta) compoſitum τὸ *remanſum*. Tamen ne Terentium, cum *manſum oportuit domi* dicit,id quod eſt Italis *maſticato in caſa* dicere arbitrabere ? Nam in *Heautontimor. Act.* 1. *ſc.* 1. *v.* 26. Chremes ſenex demonſtraturus filio non debuiſse Cliniam deſerere Menedemum patrem, ac domo abſcedere : *dicam*, inquit, *ut ut erat*, *manſum tamen oportuit*. Quid? Erit ne Italorum quiſquam, qui Ciceronem cum *remanſionem* commemorat, illius rei meminiſſe cenſeat, quam Itali *rimaſticamento* vocant ? *Cap. enim* 11. *Orat. pro Ligario Tom.* VI. *opp. pag.* 310. *Profectio certe*, inquit, *animum tuum non debet offendere*. *Num igitur remanſio* ? *Multo minus*. Vox autem *remanſio* nonne ex ſupino *remanſum* ducitur ? Cur non antea, quam huc veniſses, Facciolati, quem tanti ſoles facere, quanti virorum doctorum neminem, lexicon conſuluiſti, in quo eſt: *remaneo*, *remanſi*, *remanſum* ? Sed heus tu: faſne eſt S. Thomam *Aquinum* (1) appellare? A. Non eſt. *Dinell.* Cur? A. Rogas? *Aquinum* (2) oppidi eſt nomen. Qui autem nati *Aquini* ſunt, *Aquinates* vocari ab Latinis, non *Aquini* debent. *Dinell.* Verbero. Ec-

(1) Din. *Serm.* II. *p.* 5.

(2) Lagom. *ibid. p.* 27.

quis te docuit Thomam *Aquini* fuiſſe natum? Annon magna hac de re eſt inter viros doctos contentio? *De Aquino* ille quidem appellatus eſt, quod patre eſſet natus, qui principatum in ea civitate obtineret. Quare ut aliqui ex loco *Columna* principes *Columnas* dictos putant, ita ex Aquino dici *Aquini* comites potuerunt. Quod ſi *Aquinios* veteres *Aquinos* dicere Catullo (1) poetae licuit, cur non item *Aquinatem* poetae Dinellio *Aquinum* dicere licuiſſet? Quid? Si Graeci *Aquinum* Thomam, non *Aquinatem* vocent? Θωμᾶ enim τοῦ ἀκίνου. *Thomae Aquini* opera nominant, ut eſt apud Echardum *Tom.* 1. *De Scriptor. Ord. Praed. pag.* 345. Quis autem neſciat poetas Latinos uti ſaepe conſueſſe inflexionibus vocum Graecis? Quamobrem rurſum vapula. Nam haec abs te ignorari, qui linguae Graecae peritus, inque poetis Latinis verſatus videri velis, qui feram? Tam ne es ineptus, ut laudi Lagomarſino (quod Zeladium cum ſoluta oratione uteretur (2) vocaverit, quem ceteri Zeladam vocant) mihi vero vitio dari oportere defendas, quod in carmine, ſi minus Catullum, at Graecos ſaltem imitatus *Aquinum* dixerim, quem a pleriſque dici *Aquinatem* noſſem?

Fe-

(1) *Carm.* XIV. *v.* 18.

[2] *Lagomarſ. in Adnotat. ad Epiſt. Ant. M. Gratiani de Jul. Pogiano pag.* LIV. *col.* 2.

Feminam, credo, Illuſtriſſimum Praeſulem viſum iri exiſtimaſti, ſi Zeladam non Zeladium appellaſſes. Quaſi vero *Catilinius*, *Cecinnius*, *Dolabellius*, *Nattius* dici *Catilina*, *Cecinna*, *Dolabella*, *Natta* debuerint, ne lectoribus feminae viderentur. Quid nunc? Audes ne *ſus deque* dici Latine poſſe negare? *A*. Audeo profecto. *Dinell.* Nunc profecto vapula. *A*. At Lagomarſinus meus *ſal id eſse* [1] *grammaticale* cenſet, quod *ad condiendam ſuillam ajunt non valere*. *Dinell.* Ergo etiam ob frigidum dictum vapula. Quae vero iſta audacia eſt, ut cum a Plauto *in Amphitruone Act.* III. *ſc.* II. *v.* 5. a Cicerone XIV. *ad Attic.* VI. atque ab aliis ſcriptoribus Latinis *ſuſque deque* dictum fuiſse legatur, *ſus deque* mihi fas eſse dicere inficiere? An *ſuſque* illud ad *condiendam ſuillam* negas valere?

(1) *Lagom. Exempl. Litter. p.* 27.

De inſcriptione operum Virgilii, & de voce *ab hinc*.

XXIII. Sed age eloquere: Quo tandem modo interpretaris inſcriptionem operum Virgilii: *P. Virgilii Maronis*? *Adol. P. ut Lagomarſinus interpretatur, Patrem Virgilium Maronem* indicat [2]. *Dinell.* Igitur quod huic grammaticorum principi facias injuriam, Publiumque inepte in *Patrem* convertas, vapula. *A*. Heu, hoi. *Dinell.* Parum id eſt, praeut eſt futurum. Dic. τὸ *ab*

(2) *Lag. ibid. p.* 33.

ab hinc conjungine putas cum verbis temporis futuri poſse? *A.* Non puto [1]. *Dinell.* Etiam denuo? Vapula. *A.* Cur vapulem? Mitto Lagomarſinum. Ita Alvarus. *Dinell.* Quem mihi Alvarum narras? Quin ob hunc nominatum vapula. Cur enim Alvarum, Scioppio non probante, ſequar? Audi Facciolatum tuum *ad v. ab hinc*: „ Refertur, inquit, ... etiam aliquando, ſed „ rarius ad tempus futurum, ut docet „ Scioppius „. Egone, cum verſus ſcriberem [2], cogererque metri cauſsa τὸ *ab hinc* uſurpare, non eſse ſtandum Facciolato judicaſsem?

(1) Lagom. ibid. p. 34.

(2) Serm. 1. pag. 9.

De adverbio *itaque*; & de verbis *quod noſtri ſatagunt*.

XXIV. Jam quaero ex te num in Epiſtola priore mea *pagina* 13. haec recte ſe habeant: *Itaque, quae te cauſsae impulerunt* &c. *A.* Non arbitror. *Dinell.* Cur tandem? *A.* Quia τὸ *itaque illativum eſt*. *Illativis* autem conjunctionibus locus eſſe non poteſt, ubi non aliquid ex ſuperioribus infertur, & tamquam concluditur [3]. *Dinell.* Cognoſce, *illativum* ne magis apud Cornelium Nepotem τὸ *itaque*, quam apud me loco indicato ſit. Statuiſſe me, ſcripſi, modeſte pro Concina contra Nocetium ſcribere. Itaque miſſis ſalibus, quibus uſus fuiſſem, ſi poetam egiſſem, iiſdem me cauſſis appul-

(3) Lagom. ibid. pag. 44.

puliſſe animum ad Concinam defendendum, dixi, quibus Nocetius idem induxit ſuum, ut cauſsam ſuſciperet quorundam ſociorum Probabiliſtarum. *A.* Quid Nepos? *D.* Quid? In Miltiadis vita *pag.7. Edit. Pariſ. an.* 1675. *Hoc in tempore*, inquit, *nulla civitas Atheniensibus auxilio fuit, praeter Plateenſium. Ea mille miſit militum. Itaque horum adventu decem millia armatorum completa ſunt.* Ubinam ante loquutus de *novem millibus eſt*, ut additis mille concluderet *decem millia*? Et in *Ariſtidis vita pag.* 19. *Ariſtides* ... *aequalis fere fuit Themiſtocli. Itaque cum eo de principatu contendit.* Et quod *illationis* genus hoc eſt? *Aequalis fuit. Ergo cum eo de principatu contendit.* Quare ob aliorſum acceptum τὸ *itaque*, atque veteres Latini acceperint, vapula. Non enim ita comparatum id adverbium eſt, ut adhiberi non poſſit, niſi cum poſitis propoſitione, aſſumtioneque, quam vocant, argumenti ſit concludenda ſententia. Deinde quia τὸ *noſtri ſatagunt*, quod dixi *pag.* 11. ſecundi ſermonis mei, reprobaſti, vapula. Habet enim Petronius, qui ſatyras, ut ego ſermones, ſcripſit: *pag.* 847. *Edit. Burman. Amſtel.* an. 1743. T. 1. hoc modo: *Interea haec ſatagens*. Petronium autem

F 4 erraſ-

erraſſe in grammaticis rebus quis credat?

De dicendi ratione, qua eſt uſus Dinellius: *demonſtrare plane ad veritatem.*

XXV. Sed heus tu: *Demonſtrare*, vel *perſuadere quidquam plane ad veritatem* [1] negas ne veterum quemquam fuiſſe dictu-rum? *A.* Oh dubium ne eſt? Cedito me, ut lubet. Verum ut ut es facturus, hoc qui-dem hercle, magiſtro praeſente, numquam efficies, quin negem. Tam enim abſurdum eſt, quae *vera demonſtramus*, *ea ad veritatem*, *quam quae falſa*, *ad falſitatem dici demonſtrari* [2]. *Dinell.* Tu ne igitur, hoc praeſente, negas, quaſi τὸ *ad veritatem* opponi non queat *opinioni*. Ergo, hoc prae-ſente, vapula. Nam Cicero in 1. *de Natura Deorum c.* XXII. *pag. Tom.* II. *Opp. Perſuaderi*, inquit, *mihi non opinione*, *ſed ad veritatem plane velim*. I nunc ac Ciceronem derideto, perſuaderi ad veritatem, quidquam poſſe cuiquam ajentem.

(1) Dinell. *pag.* 13. *Epiſt.* 1. *ad Nocet.*

(2) *Lagom. litter. exempl. contra Dinell. p.* 44.

De voce *utrum* an praecedere τὸ *vel* ex Latinorum veterum more queat?

XXVI. Age vero oſtendito quam ob rem probari tibi τὸ *utrum a te*, *vel a Concina* in-ficiere, quod ipſe ſcripſi pagina 13. Epi-ſtolae ad Nocetium prioris meae. *A.* Utrum hoc, *an illud* dici oportere non *utrum hoc*, *vel illud*, ne ipſos quidem *Latinitatis tirunculos* fugit. *Dinell.* Quintilianus ne igitur tam malus tibi Latinitatis auctor videtur, ut ne cum tirunculis quidem Latinitatis ſit

com-

comparandus? Accede dum ad me propius, atque ob incredibilem confidentiam vapula. Non enim committam, ut ob non lectum, antequam huc veniſſes, Facciolati tui lexicon, impune habeas. Eſt enim in eo lexico *τὸ vel* in idem, atque *τὸ an* interdum recidere auctore Quintiliano : *ad v. vel. Item*, inquit, pro *an Quintilianus l.* III. *Juſtumne ſit, ſacrilegum appellari, quod objiciatur, vel furtum, vel amentiam.* Poterat Ciceronem etiam nominare *τὸ vel* pro *an* uſurpantem in *libri primi epiſtola* II. *ad Quintum Fratrem. T.* IX. *Opp. pag.* 32. quo loco : *hominem*, inquit, *comprehendit, & in cuſtodiam Epheſi tradidit. Sed in publicam*, VEL *in piſtrinum, non ſatis ex litteris ejus intelligere potuimus*. Nam hic *τὸ vel*, idem atque *an* ſonat.

XXVII. Jam illud: *opus egregium chriſtianae Theologiae*, quod dixi *pag.* 14. primae epiſtolae ad Nocetium cur abs te tam audacter reſpuitur? *A.* Scimus omnes opera ſcriptoribus, non rebus de quibus ſcripſerunt tribui. Ita me hic Lagomarſinus docuit (1). *Dinell.* Quia igitur *Chriſtianae Theologiae* genitivo caſu ſcripſi, vereris, ut ab hoc te didiciſſe gloriare, ne quis opus illud a *Chriſtiana Theologia* fuiſse perfectum judicet.

De verbis *opus egregium Chriſtianae Theologiae*, quae male conjungi ſcribit Lagomarſinus.

(1) *Lag. ibid. p.* 45.

cet. Intelligo hercle quis auctor Apellae Philocoraci fuerit, ut *Originum libros* dici Latine non poſse defenderet. Scilicet *Tuſculanas*, & *Academicas quaeſtiones* mulieres, arbitraris eſse, quae operam dederint philoſophiae, libroſque Ciceroni attributos ediderint, qui inſcribuntur *Tuſculanarum*, atque *Academicarum quaeſtionum libri*. Matronas, item fuiſse hiſtorias dices, propterea quod opus Titi Livii inſcriptum ſit. T. L. *Hiſtoriarum* &c. Jam de originibus quid loquar? quae, te judice, libros ediderint Catoni adſcriptos neceſſe eſt, cum Cato apud Ciceronem in *lib. de ſenectute* [1] *ſeptimum ſibi Originum librum in manibus eſſe* teſtetur? Grave id, quidem grammaticum peccatum eſt. Quamobrem, bona magiſtri venia, vapula. Quid? Negas etiam *Theologiam* [2] *ſcribere* dictum a me eſſe ex veterum Latinorum more? *A.* Immo pernego [3] *Dinell.* Ergo pervicaciae, qua negas, cauſſa, denuo vapula. Nam ſi licet ab Cicerone ſcriptum fuiſſe *Catonem*, *Laelium*, *Oratorem* dicere, propterea quod illius viri extent opuſcula inſcripta *Cato*, *Laelius*, *Orator*, quid obſtat, quin Concinam ſcripſiſſe Theologiam dicamus, cum is *Theologiam Chriſtianam* ſuum illud opus tam egre-

(1) *C. XI. p. 433. T. III. Edit. Genev. Oliveti.*

(2) *Epiſt. I. ad Nocet. pag. 14.*

(3) *Lagom. loco indic. p. 46.*

egregium, tamque inſigne inſcripſerit? A. Egregium? *Dinell*. Egregium inquam, doctis omnibus probantibus. *A*. At nolle ſe Lagomarſinus ait. *Dinell*. At voles ipſe ingratiis. Vapula. *A*. At *ſputatilicum* [1] eſt. *Dinell*. At ob iſtud ſcomma etiam vapula. Et quod cum vix grammaticam primis, ut ajunt, labiis attigeris, de ſcriptis theologicis ſententiam ferre audeas, vapula. Et quod non veritate feras, ſed quorumdam amicorum tuorum (qui iis in libris merito refelluntur, tuque id aegre pateris) cauſſa, vapula. Verum redeo ad inſtitutum. Annon Cicero in *ſecundo de Divinatione* [2] libros ab ſe ſcriptos numerans „ *Cato*, inquit, *noſter horum librorum numero referendus eſt*? Paulloque poſt *noſtri quoque Oratorii libri in eumdem numerum referendi videntur: ita tres erunt de Oratore, quartus Brutus, quintus Orator*? Scripſit ergo Cicero *Catonem*, *Brutum*, *Oratorem*, idque dici & recte, & eleganter ſane poteſt. Etenim quem librum fas erat Ciceroni legere, eum ne ſcribere fuiſſe nefas putabis? Quid autem ille in XIV. *ad Attic. ep.* XXI. *p.* 582. *T.* VIII. proponit ſibi? *Legendus*, inquit, *mihi ſaepius eſt Cato major ad te miſſus*.

(1) *Lagom. ibid. p.* 81.

(2) *C.* 1. *p.* 63. *Tom. III. opp.*

De errore typographi, qui

XXVIII. Sed jam ſatis adoleſcentulus iſte,

Di-

amplicandae, pro *amplificandae* poſuit.

Dinelli, poenarum tulit. Itaque dimittatur. Interea jube, ut tibi, quando ita Lagomarſinus in quinta ſua, quod vidimus, oratione praecipit, *honeſtiſſimam faciat perſalutationem*, poſtque ad ſua *ſubſellia* redeat. Quinctiam fac ipſe perſonam deponas ludimagiſtri, ac mecum, quae Lagomarſinus ipſe in ſuis ad Johannem Vincentium litteris turbare pergit, conſidera. Atque ut eſt varius, ſuique diſſimilis, qui paullo ante clamitabat, multa te contra grammatices praecepta peccaſſe, idem nunc ſui immemor, etſi non verbo, re tamen ipſa fatetur, niſi demtis mendis quibuſdam typographi, vix quidquam ſe, quod refellat, tam longa in epiſtola reperire. Quum enim pro *amplificandae*, vel *ampliandae*, quod ipſe ſcripſeras, typographi vitio *amplicandae pag*. 14. epiſtolae tuae legi animadvertiſſet, nugari continuo more ſuo coepit [1], imprudenſque, ne gravius dicam, in eam ſententiam delapſus eſt, ut *implicandae* Theologiae cauſſa a graviſſimo, doctiſſimoque Cardinali Caſanate fuiſse Theologorum Collegium inſtitutum affirmaret, quod Caſanatenſe appellaretur. Ita fit, ut qui vehementiſſime in te ipſum, contumelioſiſſimeque invehitur, propterea quod intellexerit, parvi abs te pendi Bollan-

(1) *Lag. ibid*. p. 46.

landianos, quos a Pontifice fuiſse aliquando laudatos conſtet; is nunc clariſſimo virtute, doctrina, dignitate viro turpiſſime maledicat, audeatque de inſtituto Clementis XI. Innocentii XIII. Benedicti XIII. Benedicti XIV. litteris, ſermonibuſque celebrato contemtim agere. Sed crocitet corvus quidem iſte, remque tam praeclaram homo infacetus rideat quantum animo collibitum eſt ſuo; nihil certe de fama detrahet virorum doctiſſimorum, qui in id collegium cooptati graviter, ſapienter, vere libros de praedeſtinatione, de gratia, de moribus, deque aliis argumentorum generibus perſcripſerunt. Manet enim, dumque haec ſtudia colentur, manebit, invitis grammatiſtis, apud litteratos viros nomen, honos, exiſtimatio, ſumma laus Maſſouliei, Tabaii, Graveſonii, Delbequii, Bardonii, Bremondii, Orſii, Ricchinii, Wanranſtii, Poelmani, Mamachii, (ac niſi eſſes praeſens, dicerem etiam profecto tui) qui diuturno ſtudio, labore, operibus Cardinali ampliſſimo gratiam cumulatiſſime retulerunt. Sed quid adverſus Grammaticum diſputans Theologos nomino? Age quae ſua eſſe putat propria conſectemur.

De Italiciſmo, quem Dinellio

XXIX. Quod pag. 15. ſcribis: *An poterat*

affingit Lagomarſinus: de verbis: *aberrationes voculae*, & de voce *ſiquae*.

rat fieri minus, *quam ut ſanus quisque ita judicaret*, a conſuetudine Latinorum abhorrere jactat, ab Italorum autem nullo modo (1). Ego vero cur *Latiniſmus* non ſit, quem iſte *Italiciſmum* defendit eſſe, non video. At ita dixiſſet Italus: *Potea egli forſe eſser di meno, che non giudicaſse così ogni perſona di mente ſana?* Sed viderit ipſe, num haec Italica reſpondeant Latinis tuis. Mihi profecto nihil videtur minus. Verum fac reſpondeant: Ciceronem igitur in *Italiciſmum* incidiſſe pugnaverit, qui in XIV. *ad Atticum libro Epiſt.* XV. *pag.* 572. *Tom.* VIII. *opp. incipit*, inquit, *res melius ire*, *quam putaram*. Nam hac eadem de re ita omnino ſcripſiſſet Italus. *Comincia andar meglio la coſa, di quello, che io avea penſato*. Quid? ſi Italorum more Salluſtium *in lib. de Bello Jugurthino* (2), ſi vera is praedicat, quae mox afferam, ſcripſiſse confitendum ſit? *Nihil minus expectabam*, *quam vim*, *aut bellum*. Nam haec Italicis *niente meno io mi aſpettava, che la forza, o la guerra*, reſpondent. Aequius Grammaticus iſte Lucium illum Sectanum ſuum coarguiſset, qui in *Hiſtoria quadam*, quod Italice ſcriptum repererat: *era lo ſtato de lla Compagnia in quel tempo aſsai felice*, Latinum fecit hoc modo: *Erat ſta-*

(1) *Lag. ibid.* p. 47.

(2) *Pag.* 70. *Edit. Pariſ. ad uſ. Delph.*

ſtatus Societatis eo tempore admodum felix. Sed ita eſt homo inſtitutus, ut res domeſticas negligens, alienas curet. At enim *voculae aberrationes pag. 16.* Epiſtolae tuae dixiſti; cum tamen aberrare mens poſſit, voculae non poſſint (1). Ingens id quidem tuum eſt, mi Dinelli, atrox, intolerabile facinus. Rideo hercle! Quid? errafse ne Ciceronem exiſtimem, qui *aberrare orationem* affirmat poſse? *In V. Tuſculan. lib. cap.* XXIII. *pag.* 475. *Tom. II. aberravit*, inquit, *oratio*, & *lib.* 1. *de Officiis c.* XXXII. *Tom.* III. *pag.* 314. *ut ſi aberrare ad alia coeperit oratio*. Quod ſi oratio aberrat, Cicerone teſte, cur non item aberrabunt voculae, quibus ipſa conſlatur oratio? Audi nunc jam, quid *pag.* 48. nugetur. Negat abs te ſcriptum recte fuiſse: *graviora ſiquae pag.* 16. ejuſdem epiſtolae prioris tuae. *Siqua* enim te omnino debuiſse ſcribere contendit: atque *non aliter*, inquit *puer olim* (quid olim? Quam nunc etiam, ut eſſet, nollem!) *in gymnaſio doctus fueram. Sic enim nobis a presbytero quodam Martinio, quo primum Latinae linguae elementorum magiſtro in Pratenſi Societatis Jeſu Collegio decennis cum eſsem, uſus ſum praecipiebatur* „ *aliquis aliqua aliquod* così elegantemente ſi accorcia, e ſi dice *ſi quis*

(1) *Lag. ibid. p.* 47.

ſi quis , *ſi qua* , *ſi quod* nel ſingolare , e nel plurale *ſi qui* , *ſi quae* , *ſi qua* , in vece di *ſi aliqui* , *ſi aliquae* , *ſi aliqua* . Ovidio: *ſi qua meis fuerint* , *ut erunt vitioſa libellis* „. *Bene ſit presbyteri Martinii manibus*, *qui me ea puerum docuit* , *quae ſaepe viri* , *ac ſenes turpiter ignorant* . Hoc jam tenet Cordara , quod referat in Hiſtoriam Societatis ; Lagomarſinum decennem puerum cum in Pratenſi Collegio litteris daret operam , didicisse a Martinio magiſtro ſuo *ſi qua* eſse omnino ſcribendum . Quin etiam ſolemne ei Martinio funus decernatur neceſse eſt , quod rem tantam , tam utilem , tamque praeclaram puerum docuerit, quam ſenes turpiter ignorent . Verum quam recte ſuos Martinius inſtituerit , intelligi ex Ciceronis *lib.* xv. *ad familiar. ep.* xiv. *pag.* 527. *Tom.* VII. *opp. edit. Oliveti* ubi: *ſed ſi quae ſunt* , inquit *onera tuorum* . Quare ne puta, nullum hujus rationis ita inflectendae vocis *ſi quis* apud veteres fuiſſe uſum . Atque Emmanuel Alvarus ſummus ille, ſi Deo placet , grammaticus , quem Lagomarſinus ceteris eſſe omnibus praeferendum cenſet *lib.* 1. *de Grammat. cap.* vi. pag. 22. *Edit. Patav. Cicero* , inquit , *frequenter ecquae feminino genere pro ecqua uſurpat* ... *& famil.*

mil. l. xv. *ad Caſs. ſi QUAE ſunt onera tuorum, pro ſiqua*. Jam vides Emmanuelem e ſummo grammatico factum eſſe ignarum, rerum maximarum ſenem.

XXVI. At enim non placet Ariſtarcho iſti tuo, quod eſt abs te ſcriptum pag. 17. epiſtolae ad Nocetium primae: *Poteris ad exitum uſque hujus univerſitatis rerum querelas producere*. Sic enim, inepte quidem, ut ſolet, jocatur. *Quo me vocas Johannes Vincenti? Ab jucunda ultimae pueritiae meae recordatione ad triſtem exitus hujus univerſitatis rerum memoriam vocas. Quid flebiliter illa ingeminas, ac prope auribus meis concinis, Dies irae dies illa?* (1) Jucunda eſt homini ſuae pueritiae recordatio. Quid enim ei accidere jucundius poterat, quam ut illius reminiſceretur ſuaviſſimi, pleniſſimique delectationis *ſiqua*, quod puer cum eſſet, didicerat? Quod adjungit de *dies irae &c.* reſervet illud quidem, ſi lubet, *manibus* Martinii ad ſolemne funus. Quamquam *manes* ab eo ethnica ſuperſtitione rurſum induci, qui te paullo ante redarguebat, quod ſanctos *divorum* appellaſſes nomine, tam grave ſit, ut ferendum non videatur. Sed haec alias. Nunc ex illo quaere, quae cauſſa ſit, cur τὸ *ad exitum*

De vocibus: *ad exitum uſque hujus univerſitatis rerum*.

(1) *Lag. ibid. p.* 49.

tum

tum uſque hujus univerſitatis rerum non eſſe probandum putet ? An *hujus univerſitatis rerum* meminiſse Ciceronem negat ? Minime vero, Quamobrem igitur te adeo acriter objurgat ? *Aptiſſimum*, inquit, *quod in Cicerone eſt*, *in Dinellio eſt ineptiſſimum*, idque ut efficiat, ad ſuas nos *aures Latinas*, ſuumque *Latinum guſtum* provocat, Quaſi vero non ante oſtenderim depravatis eum & auribus, & guſtu eſse.

De voce *utrum* adhiberi ne ſola ab latinis poſſit.

XXXI, Perge tamen, atque de *utrum*, quid iſte praecipiat, cognoſce. Solum ſine *an* abs te (1) adhiberi ait (2). Quid ? negat ne adhiberi ſolum poſse ? Nam Cicero, ut alios Oratoris tanti praetermittam locos, in *Verr.* IV. Facciolato etiam confitente, τὸ *utrum*, ſine *an* ſubſequente uſurpat, *Interdum*, inquit Facciolatus, *nulla particula ſubſequitur*. Cicero IV. *Verr*. LXIX, „ An hoc dicere audebis, utrum de te aratores, utrum denique Siculi univerſi bene exiſtiment, ad rem id non pertinere ? „ Non hercle negat. Cur notat igitur ? Neſcio. Qui enim ſciam, quod ne ipſe quidem, cur notet, noverit ?

(1) *Dinell. p.* 19. *Ep.* 1.

(2) *Lag. p.* 51.

De voce *claritate* oppoſita *longitudini*; & de verbo *reſelle*.

XXXII. Sed *claritatem* abs te *longitudini* haud recte opponi clamat (3). Reprehendens enim, quae *pag.* 19. Epiſtolae I. ſcripſiſti. *Non longa*, *& litigioſa*, ſed *clara perſpicuaque*

(3) *Lag. p.* 52.

que diſputatione; *diſplicet*, inquit, *longitudini claritatem opponi*. Mirum ni Ciceronem quoque is arguat, qui in ſecundo de Divinatione libro *cap.* xxii. *pag.* 81. *Tom.* iiI. *Opp.* *nova* oppoſuerit *uſitatis*. Scribit enim hoc modo: *Cauſſarum ignoratio in re nova mirationem facit. Eadem ignoratio, ſi in rebus uſitatis eſt non miramur*. (1) Diſplicere clamabit grammatiſtes ſibi *nova uſitatis* opponi; cum *nova veteribus*, quaeque non ſunt in uſu, ſeu *rara* quae ſunt, *uſitatis*, contraria videantur. Non enim animadvertit, ut ea, quae nova cuiquam accidunt, rara eidem, ac non uſitata accidere; ita oriri ex longa oratione obſcuritatem, adeo ut *qui longus*, atque etiam qui litigioſus ſit, is vix quidquam afferre clari, atque perſpicui poſse videatur. Mitto hujus generis exempla, quae in Ciceronis, aliorumque veterum libris leguntur, permulta. Longe eſt levius, quod mox adjungit, debuiſse te *pag.* 20. *Epiſtolae prioris* ſcribere, non quidem: *poſses, cum eum refellis*; ſed *poſses, cum eum refelleres*(2). Quaſi vero quia temporis praeteriti imperfecti conjunctivi modi τὸ *poſses* eſt, temporis item praeteriti imperfecti conjunctivi modi, quod ſequitur verbum, eſſe oporteat, arguenduſque ſit propterea Caelius,

(1) *Lib.* 1. *Ep.* 1. *ad Quintum Fratrem p.* 26. T. ix. *dormientem currenti* Cicero idem opponit.

(2) *Lag. ibid. p.* 52.

lius, qui apud Ciceronem VIII. *ad Famil. lib.* Ep. XVII. (1) ſcripſerit: *Tum tu porro, cum ad te proficiſcens noctu Ariminum veniſsem; dum mihi mandata pacis das ad Caeſarem, & mirificum civem agis, amici officium neglexiſti*. Quis non videat praeſentis temporis indicativi modi verbum, poſt tempus pluſquam perfectum conjunctivi modi poſuiſse hic Caelium, neque incidiſse in Ciceronis, ad quem ſcribebat, reprehenſionem? Quin etiam Cicero, ut ſexcenta cum hujus, tum etiam Caeſaris, Salluſtii, aliorumque loca praeteream, Cicero, inquam, *ibid. lib.* IX. *Epiſt.* VI. *pag.* 284. *Sed nihil minus fero*, inquit, *quam ſeveritatem otioſorum, & quoquo modo* SE RES HABERET, *magis illos* VEREOR, *qui in bello occiderunt, quam hos curo, quibus non ſatisfacimus, quia vivimus*. An τὸ *cum* conjunctivum modum poſcere affirmabit? Non hercle arbitror. Niſi forte obrui ſeſe Ciceronis, Salluſtii, Caeſaris, Terentii infinitis prope locis velit. Satis hic erit unus ex *Epiſt.* XXI. *lib.* III. *pag.* 197. *T.* VII. *opp. Etſi cum haec ad te ſcribebam &c.* At deſideratur neſcio quid verborum, immo vero *rationis pag.* 24. epiſtolae primae tuae (2). Sic enim ſcripſiſſe te: *Quae Romam magno numero tui libelli alla-*

(1) *Tom. VII. p.* 277.

(2) *Lag. p.* 52.

ta ſunt exempla nuſquam apparuerunt, omneſque unum aliquod eorum habere potuerunt, praeter emtores. Ego vero & quid velis ipſe, & nihil in ea periodo verborum deſiderari facile perſpicio. De ratione vero quid dicam? Miſeret me hominis. Non enim novit, qui ſit. Itaque quod ipſi ineſt, id tibi ineſse vitium praedicat. Mox emendat, & corrigit, quod addidiſti: *omnia donatum circumtuliſtis*. Sed quid impediat, quin ſupinum *donatum* cum verbo *circumtuliſtis* conjungi poſſit, non docet, neque quibus argumentis doceat, novit (1). Deſcendit ad *pag.* 25. *epiſtolae tuae*. Deeſſe (2) nonnihil huic periodo animadvertit: *Alii cupidi, quid rei eſset, cognoſcendi, quaeſitum ex bibliopolis de Veritate vindicata, ſed nuſquam inveniebant*. Aget, opinor, typographus tuus iſti Ariſtarcho gratias, quod omiſsum ab ſe verbum *mittebant*, quo uſus fueras, iſte monuerit eſse omnino reſtituendum.

(1) Emendet Lagomarſinus Nepotem bis *in Chabria p.* 59. *adiutum profectus* ajentem.

(2) *Lag. ibid. p.* 54.

XXXIII. Negat praeterea τὸ *haud dubie* pro *certe*, *profecto*, *ſine dubio*, vel etiam *procul dubio* uſurpari poſſe [3]. Cum puer meo cum paedagogo ad ſeminarium ſcenicos ludos ſpectatum iviſſem; memini me vidiſſe prodeuntem in ſcenam repueraſcentem ſenem, qui a magiſtro ludi vapularet, quod nul-

De vocibus *haud dubie*: *quorſum*, & *gratias referre*.

[3] *Lag. p.* 55.

 nul-

nullos in grammaticis, quibus ſe totum dediderat, rebus, progreſſus faceret. Ac D. Fidentius, (Ludimagiſtro enim id erat nomen) cum fruſtra demum ſuſceptum ab ſe illius inſtituendi laborem fuiſse animadvertiſset, bajulum ad ſe ut veniret, ſenemque acriter verberandum ſuis humeris imponeret, imperavit. Quod ut factum vidit, ferulam arripuit, atque iratus ad ſenem ipſum, qui neſcio quid Latine dici poſse imprudens negarat, accedens: hoccine, inquit, tam clarum, tamque perſpicuum impune ut neges, maſtigia? Non patiar. Vapula. Quid aerem pulſas calcibus? Adesdum, Dave. Tene hujus tibias. Tene arcte, ne calcitret. Faciam hercle ego, ut hujus loci, dieique, meique ſemper memineris. Equidem niſi & quanti tu pendas Lagomarſinum,& quanti alii pendere ſoleant, ſcirem; hoc illius litterarum exemplum legens, vererer, ne eum in ſcenam abduci aliquando cernerem partes acturum repueraſcentis ſenis. Quid enim cenſes *Domnum Fidentium* fuiſse facturum, ſi τὸ *haud dubie* idem ſemper atque *nihil haeſitans* ſonare ex eo ſene intellexiſset? Pergin' argutari? dixiſset. Heus tu bajule, redi huc ad me. Tolle hunc ſublimem. Quid? An quod eſt ab Salluſtio ſcrip-

ſcriptum (*Fragm. l.*IV.*Hiſt.pag.*187.*opp.Edit. an.* 1674.) *poſtremo totam Bythiniam Nicomede mortuo diripuere, cum filius Nuſae, quam reginam appellaverant, genitus haud dubie eſſet*: id tu grammatice intelligi de *genito haud haeſitanti* putas? Vapula. Rurſum quod Livius (*lib.* II. *Hiſtor. c.* XXIV. *p.* 197. *T.* I. *Edit. an.* 1735.) ait: *A. Cornelius, & Q. Servilius quaeſtores M. Volſcio, quod falſus* HAUD DUBIE *teſtis in Caeſonem extitiſſet, diem dixerant*, id ne tu contorquebis, ut non *ſine dubio falſum teſtem*, ſed *non haeſitantem falſum teſtem*, fuiſſe *Caeſonem* indicet? Vapula. Diem nempe, te auctore, credemus, dictum fuiſse iis, qui *non haeſitantes*, non iis, qui *haeſitantes* falſum teſtimonium dixiſſent. Verum ad *perſonas* τὸ *dubie* referri ſemper, ad res numquam debet. Quin taces? Nonne intelligis referri id adverbium ab antiquis ſcriptoribus ad res etiam ſolere? Cicero in I. *de Divinatione Cap.* LV *pag.* 55. *Tom.* II. *Opp. Edit. Oliv. Genev. Poteſt*, inquit; *accidere, ut aliquod ſignum dubie datum pro certo ſit acceptum*. Et Lagomarſinus tamen cum tam minuta conſectatur, tum deridet, Dinelli, te, quaſi de *tribus capellis* egeris. Quinetiam addit, *cur, quare, quamobrem, quam ob cauſſam* non vero *quorſum illam non prae-*

teriret (*pag.* 14. *epiſtolae* prioris tuae) abs te debuiſse ſcribi [1]. Hoc reſtat, ut Terentium imperitiae arguat, quod in Adelphis *Act.* 1. *ſc.* 11. *v.* 20. non *cur*, dicat, ſed *quorſum iſthuc? Quia tu Demea haec male judicas*: & Ciceronem quod ſic habeat in *lib. de Senectute pag.* 424. *Tom.* 111. *opp. Quorſum haec tam multa de Maximo? Quia* &c. Et in *lib. de Amicitia pag.* 471. *Quorſum haec? Quia* &c. Verum quod Itali dicerent, *a che fine*, id Terentius, ac Cicero *quorſum* dixerunt. Quid? Tu aliud ne quidquam ea voce indicare, quam *a che fine* voluiſti; cum ſcriberes: *quorſum illam non praeteriret?* Quid? Si redarguat quoque te, mendi typographici, *Venetis* pro *Veneta* [2], quod tamen in extrema epiſtola tua emendaſti, cauſsa? Inſignem porro facit Probabiliſtis injuriam, ac ſi agere gratias ſoleant, referre non ſoleant, proindeque tibi vitio dat [3] quaſi τὸ *gratias referre* (cum *pag.* 33. *epiſt.* tuae ſcriberes: *tuum erat* (*Noceti*) *Tamburino gratulari*, *& gratias Concinae referre*) pro *gratias agere* (quod falſum certe eſt) uſurparis. Jam *gratias referre* pro *gratiam referre* ſatis uſitate adhiberi negat. Verum quo uſus Plautus eſt, id ne ille nullo fretus argumento, *ſatis* olim fuiſse *uſitatum* inficiabitur? Habet

(1) Lag. ibid. p. 57.

(2) Lag. ibid. p. 58.

(3) Ibid.

bet autem ille *in Amphitr. Act.* 1. *ſc.* 1. *v.* 27 *ſi merito meo referre ſtudeant gratias.* Quamquam de erroribus non de minus uſitatis verbis agimus. Erraſse vero Plautum concedet, quem Varro ſolitus erat tam elegantem fuiſse ſcriptorem affirmare, ut *muſas Plautino ſermone locuturas*, diceret, *ſi Latine loqui vellent* [1]? Illud autem magis miror, quod cum minus uſitata te confectari clamitet, ipſe eodem in genere peccet graviter. Nam *inconſequentiam* [2] uſu ab Latinis tritam fuiſse vocem oſtendere demum, qui poterit? Iraſcitur deinde tibi, quod ab Concina viro Caſuiſtis infeſto excuſatum Tamburinum fuiſse, a te vero minime excuſari dixeris(3). Quid enim cauſsae eſt, cur eorum, qui infeſti Caſuiſtis, ob deturpatam ab iis, implicatamve doctrinam morum ſint; excuſare alii unum aliquem Caſuiſtarum, quem inſcientem peccaſse exiſtiment, poſſint; alii quod etſi inſcientem, nihilo ſecius peccaſse arbitrentur, excuſare non poſſint? Et arrogat tamen iſte ſibi Dialectici munus, teque, ac ſi quid ex re quaque ſequatur, non videris, reprehendit. Quid autem de Dialecticis balbutire audeat is, qui nondum attigit, neque umquam fortaſse attinget diſserendi artem?

(1) Vide *Quintil. Inſt. orat. lib.* X. *c.* 1.

(2) *Lag. ibid. p.* 59.

(3) *Dinell. p.* 33. *Lag. ibid. p.* 58.

XXXIV. Ad

De voce *ſeorſim*, deque proverbio *Amicus Plato &c.*

XXXIV. Ad haec τὸ *ſeorſim* (qua voce uſus Prudentius haud inelegans poeta fuit *lib.* II. *contra Symmachum v.* 774. quo loco, *alios*, inquit, *properare ſeorſim*) in erroribus numerat [1]; vehementiſſimeque pugnat, pro *gratum habere*, ſcribi *gratiam habere* oportere: cùm tamen ſit apud Plautum in *Mercat. Act.* III. *ſcen.* I. *v.* 29.

(1) *Lag. p.* 59.

Honoris cauſsà quidquid eſt; quod dabitur,

Gratum habebo. Pro *gratum mihi erit.* Quod ipſe volebas, cum *gratum habere* ſcriberes. Hariolum inde agit. Nam quum ipſe *pag.* 36. epiſtolae prioris tuae, ſic ſtatuiſſes: veritatem omnibus eſſe anteferendam; propterea quod *dictum quod olim erat ab uno, factum eſſet ſermone tritum proverbium: amicus Socrates, amicus Plato, amicus Ariſtoteles, ſed magis amica veritas*: iſte, perinde ac ſi omnes veterum omnium libros legerit, ridere eſt auſus te, quaſi [2] qui prior haec dixerit, nominare poſſes omnino neminem. Pugnat enim Ariſtotelem, qui *amicus Plato, amicus Socrates* ſcripſerit, nec his ſe duobus addere potuiſſe, neque addidiſſe τὸ *magis amica veritas*. Nam haec illum uſurpaſſe tantum: *Licet amici ambo ſint, ſanctum eſt ipſis veri-*

(2) *Lag. ibid. p.* 59.

ritatem anteponere. Sed ubinam Ariſtoteles τὸ *amicus Plato*, *amicus Socrates* dixit, Philoſophe? Quo enim loco *licet amici ambo ſint*, dicit, nominum certe Socratis, atque Platonis non meminit. Eſt enim in 1. *de Moribus cap.* IV. *pag.* 7. *Tom.* II. *Edit. Colon. Allobrog. an.* 1606. „ Melius fortaſſe eſt, ut univerſale conſideremus, & „ quomodo dicatur, inquiramus. Quamquam arduam nobis hanc quaeſtionem „ futuram eſſe video, propterea quod amici ſunt, qui formas introduxerunt. Sed „ forſan rectius eſſe, & oportere videretur, ut pro veritatis ſalute unuſquiſque, „ & praeſertim Philoſophi ſua quoque propria refutarent. Nam *licet amici ambo* „ *ſint*, *ſanctum eſt veritatem ipſis in honore anteponere*. „ Igitur te ut accuſet, vitiare Ariſtotelis locum audet. Galeno id proverbium tribuunt Collectores Adagiorum. Sic autem apud Galenum legi ſcribit is, qui anno 1629. edidit magnum de Adagiis veterum volumen (1) φίλος Πλάτων, ἀλλὰ μᾶλλον ἡ ἀλήθεια. *Amicus Plato*, *ſed magis veritas*. Quid autem obſtabat, quin Galenus, longe recentior cum fuerit, Platoni Socratem, atque Ariſtotelem adderet?

(1) Inſcribitur id opus. *Adagia, ideſt proverbiorum, paroemiarum, & parabolarum omnium, quae apud Graecos, Latinos &c. in uſu fuerunt &c. Collectio. Edit. Wechell. an.* 1629. *vide pag.* 48.

XXXV. Rur-

De verbis *praecavere, ne inducantur.*

(1) *Dinell.* p. 37.

(2) *Lag. ibid.* p. 60.

XXXV. Rurſum *praecavere, ne quidquam fiat* (1) dici Latine poſſe negat (2). Caeſar vero in 1. *de Bello Gallico* p.28. *Edit. Pariſ. ad Uſum Delph.* *Id ne accideret*, inquit, *magnopere praecavendum ſibi Caeſar exiſtimabat*. Et Plautus in *Mercat.* *Act.* 1I. c.1I. *v.ult.* *Sed praecauto eſt opus, ne &c.* At *praecavere* pro *impedire* uſurpare Latine ſcribenti non licet. An id tu Dinelli, non pro *ante cavere*, ſed pro *impedire* adhibuiſti? Cur igitur tuum iſte aliorſum accepit dictum, atque res poſtulet, ipſeque acceperis? Deinde *inducerentur*, non *inducantur*, ſcribi a te loco eodem debuiſſe dictitat. Sed errat, meo quidem judicio, vehementer. Non enim quia τὸ *praecaveres*, temporis praeteriti imperfecti praecedit; neceſſe eſt, ut ſubſequatur praeteriti imperfecti tempus, ſcribaturque *inducerentur*. An Plancum, Ciceronem, Caeſarem reprehendet, quod prior, *Illud cavi, ne mea credulitate reipublicae ſumma fallatur: lib.* x. *Cicer. ad Famil. Epiſt.* xx1. *pag.* 339. *Tom.* v11. *Opp.* (non enim *caveo* ſcripſit, ut cum praeſentis temporis verbo praeſentis temporis verbum *fallatur* conjungeret?) Quod alter *lib.* v. *epiſt.* xv11. *pag.* 154. *Illud utinam ne vere* SCRIBEREM, *ea te republica*

CA-

CARERE,*in qua neminem prudentem hominem res ulla* DELECTET. Tertius *lib.* I. *de Bello Gallico cap.* XLVII. *pag.* 34. Biduo *poſt Ariovistus legatos* MITTIT, *velle ſe* ... *agere cum eo, ut diem* CONSTITUERET &c. ſcribant. Cur enim non *conſtituat*, quo id cum praeſentis temporis verbo *mittit* conjungeret, ſed *conſtitueret* Caeſar dixit? Nam de Ciceronis verbis quid loquar, quae tam ad rem pertinent, ut nihil optari a me opportunius poſſe videatur?

XXXVI. Poſt *exhomologeſin* non *exomologeſin* abs te ſcribi debuiſſe defendit [1]. Sed quamquam vox Graeca ὁμολόγησις *homologeſis* aſpirata eſt, tamen ut aliae aſpiratae voces Graecae, in *compoſitione*, ſic *homologeſis*, ſi ei ſit adjuncta particula *ex*, aſpirata eſſe deſinat, neceſſe eſt. Quid enim? An iſte Graeculus *Synhodum* pro *Synodum*, *Exhodum* pro *Exodum* ſcribet, propterea quod vox graeca ὁδὸς aſpirata ſit? Hoc ſi fecerit, quid erit reliqui, niſi etiam ut συνὑπακούω pro συνυπακούω, συνὑπαρχος pro συνύπαρχος, συνὑποκρίνομαι pro συνυποκρίνομαι, ſcribendum eſse arbitretur? Quam vereor, Dinelli, ne qui aliquando exiſtant, qui falſo iſtum, Graecam linguam cal-

De voce *Exomologeſis*.

(1) *Lag. p.* 61.

callere ſeſe dixiſse, ſuoſque ſodales,qui eam ob cauſsam ſcholae ipſum Graecae praefecerunt, decepiſse; eoſque coegiſse, ut ipſum etſi immerentem, tamen magno ſuo diſpendio Romae alerent, arbitrentur. At *confeſſio* vox Latina eſt. Quis hoc negat? Sed non eadem ſignificatio apud veteres Latinos vocis *confeſſio*, atque vocis *exomologeſis* apud elegantes Graecos ſcriptores chriſtianos fuit. An ignorat Latinam linguam antea defeciſſe, quam ritus, ceremoniaeque chriſtianorum efferri, publicarique coepiſsent? Romanos, credo, qui dediti ſuperſtitionibus Deorum fuiſſent, ſacerdotibus, quae peccaverant, manifeſtare conſueſse cenſet, ut id ſonare vocem *confeſſio* vellent, quod *exomologeſis* apud Graecos ſignificat. Jam vero quis neſciat, Graecam linguam multo etiam poſt viguiſſe, quam latiſſime, longiſſimeque propagata chriſtiana religio eſt, adeoque integrum Patribus ejus gentis fuiſse vel novas voces inducere, vel uſu tritas in eam transferre ſignificationem, quam voluiſsent?

De verbis *ne in cogitationem quidem cadit.*

XXXVII. Accuſat porro caſtigatque, dictum illud tuum *pag.* 40. *ne in cogitationem quidem cadit*. Sic enim ait (1) *Aliquid* in cogitationem cadere *pro* in mentem venire,

(1) *Lag. p.* 62.

re, *mihi quoque valde abſurde videtur dici*. *Valde* ne igitur *abſurde* dixit Cicero in 1. *de Nat. Deor. c.* IX. *p.* 508. *Tom.* I. *Opp. Quod ne in cogitationem quidem cadit, ut fuerit tempus* &c. Sed metuo, ne ſi fuſe perſequi velim omnia, numquam ſim facturus diſserendi finem. Quare paucis te morabor.

XXXVIII. Ridet te, quod ſepties tam longa in epiſtola uſurparis verbum (1) *adire*, quaſi vero ridendus ſit Caeſar, quod *reperiebat Caeſar inquirendo, et cum inquireret ſic reperiebat, in libris de Bello Gallico* ſaepiſſime dixerit; exagitanduſque ſit Cicero, quod eadem pagina, quae vix lineas quindecim in Editione Oliveti continet (*lib.* VI. *epiſt. ad Famil.* 1. *pag.* 165. *Tomo* VII. *Opp.*) quater uſurparit τὸ etſi: *Etſi ea perturbatio ... Nam etſi ... Quare etſi ... Etſi enim*. Immo vero quamvis *lectum adire quemquam* dici commode, recteque ab eo qui Latine ſcribat, fateatur poſse; frigidum tamen neſcio quid de lectiſternio excogitavit, ut te ludibriis exponeret imperitorum. Non enim animadvertit frigida verba ei qui dicat, non ei in quem dicantur, dedecori, & probro eſse ſolere.

De uſurpato ab Dinellio ſepties verbo *adire*.

(1) *Lag. p.* 73.

XXXIX. Mox ferendum non eſse ait, quod *pag.* 64. ſcripſiſti: *diu ante*. Conſue-

De vocibus *diu ante*.

tudi-

tudinem namque poſtulare Veterum, ut *multo ante*, ſcribendum videatur. Ego vero & *diu ante*, & diu *poſt* a Veteribus ſcriptum fuiſse intelligo. Gellius enim *lib.* XIII. *Noct. Attic. cap.* XXI. *pag.* 326. *Edit. Amſtelod. an.* 1666. *Gallicas*, inquit, *verbum eſſe opinor novum non* DIU ANTE *aetatem Marci Ciceronis uſurpari coeptum. Diu poſt* habet Suetonius (cujus auctoritate uti Alvarus ſolet) in *Tiberio Claud. c.*XVI. *p.*392. *Edit. Pariſ. ad Uſum Delph.* Ac ſi dicere *diu poſt* licet, non equidem video cur non item *diu ante* dicere Latine ſcribenti liceat. Rurſum Plautus in Perſa *Act.* V. *ſc.* I. *v.* 41. *Jamdiu... poſtquam* habet. Sed multo eſt clarius, quod uſurpat Tubero (is quem hiſtoriam ſcribentem laudat Tullius in 1. *epiſt. ad Quintum fratrem l.*1. *p.*13. *T.*IX. *opp.*) apud Gellium *lib.*VI. *c.*IV. *p.*161. *In atras, & profundas tenebras eum claudebant*, ac DIU POST *ubi erat viſus ſol*, &c. Nihilo ſecius quaſi magnum quiddam, reprehenſo τὸ *diu ante*, fecerit, quod perfici, niſi ab ſui ſimilibus, a nemine umquam poſſit, arti, quam ſibi arrogat, grammaticorum tantum tribuere audet, ut cum eam verbis extollat, non modo Philoſophiam, ſed ſcientiam quoque divinitus traditarum re-

rerum deprimere videatur (1). Quod ſi grammatici, quos vocat, quidquam habent cum iſto affinitatis, veterumque Latinorum, quorum eſt maxima in hoc genere auctoritas, dicendi, ſcribendique rationem imprudentes coarguunt; equidem vereor, ne tempus ab aliquo tam fruſtra, quam a grammaticis teri, non queat.

(1) *Lag. p. 65.*

XL. Sed his minime contentus, caſtigandum te etiam, atque etiam (2) arbitratur eſse, quod pag. 43. ſcripſeris: *An in ſuſpicionem illi cadere poterat?* Latinos enim veteres ſimile quidpiam uſquam uſurpaſse negat. Verumtamen oſtendat, ſi poteſt, ullum uſquam vixiſse Latinum ſcriptorem, qui pro XV. *Kal. April. die* 18. *Martii* ſcripſerit? Cur ergo is Ariſtarchus in Adnotationibus ad Gratiani *de Julio Pogiano* epiſtolam pag. 1. *pro* XV. *Kal. April.* adhibet τὸ *die* 18. *Martii*, & *die* 25. *Decembris* pro XIII. *Kal. Januar.*, *ac die* 23. *Octob.* pro X. *Kal. Novemb.* & *die* 21. *Martii* pro XII. *Kal. April.* Verum, ut eo redeat, unde huc defluxit oratio, an *ſuſpicionem* idem ac *ſuſpicationem* ſignificare negabit? Quod ſi *ſuſpicio* idem ac *ſuſpicatio* ſit, ut eſt demonſtratum a Stephano in Theſauro, *inque ſuſpicationem*, quemadmodum

De verbis: *an in ſuſpicionem illi cadere poterat.*

(2) *Lag. ibid. p. 69.*

dum *in cogitationem*, quod antea vidimus, cadere aliquid, queat dici; quid erit, cur idem *in ſuſpicionem cadere* dici non queat? Rurſum ad *errata* typographi ſeſe convertit, animadvertitque, non *intollerabile*, eum, ſed *intolerabile* debuiſse ponere [1]. Verum non te fugit, quam multa mihi typographi Tridentini, qui *exemplum* nobis *Lagomarſinianarum litterarum* dedit, errata, quae caſtigem, in promtu habeam. Sed ea equidem negligam. Quo autem illud ſpectet, quod *pagina* 70. *exempli* notat, non video. Recte namque ſcriptum abs te *pag.* 44. *epiſtolae prioris* tuae fuiſse fatetur: *ceteros quoſque*, quamquam potuiſse affirmet te, *ceteros quoque* etiam ſcribere. Niſi enim hoc voluit, ut ſcriberes: *ceteros quoſque*, vel *ceteros quoque* (quo ſcire te, dici utrumque ab eo, qui Latine ſcribat, poſse demonſtrares) quid demum voluerit, mihi ne ſuſpicari quidem licet. Nam etſi eſt id perridiculum, tamen non miror grammatiſtae in mentem veniſse, qui non rebus, ſed verborum inani ſonitu delectetur.

(1) *Lag. p.* 70.

De verbo; *fallere*.

XLI. Ad haec, condonandum tibi non eſse putat, quod *fallere* pro *falleris* *pag.* 41. epiſtolae primae ſcripſeris. Quamquam non erraſſe quidem te, ſed uſum ea fuiſ-

fuiſſe dicendi ratione, pugnet, quae minus frequens apud veteres Latinos fuiſſet. Verum quis tam eſt ineptus, qui cum ab Luccejo (*in epiſt. ad Ciceronem*, quae eſt XIV. *libri quinti ad Famil. pag.* 149. *Tom.* VII. *Opp.*) *angere* pro *angeris*; a Terentio vero (*in Heautont. Act.* IV. *ſcena* VI. *v.* 8.) *comminiſcere* pro *comminiſceris*; & (*in Eunuch. Act.* II. *ſc.* II. *v.* 44.) *arbitrare* pro *arbitraris*; & apud Plautum (*in Amphitr. Act.* II. *ſc.* II. *v.* 27. *&* *in Aſinaria Act.* III. *ſc.* I. *v.* 22. *in Epidico Act.* III. *ſc.* 4. *v.* 45. *& in Trinum. Act.* II. IV. *v.* 13.) *rere* pro *reris*, & rurſum (*in Amphitr. Act.* III. *ſc.* III. *v.* 18.) *loquere*, pro *loqueris*; & (*in Pſeud. Act.* III. *ſc.* II. *v.* 37.) *utere* pro *uteris* uſurpari videat, minus eam eſſe ſcribendi rationem uſitatam defendat? Sed tempus me deficeret, ſi omnia hac de re veterum ſcriptorum Latinorum loca non deſcribere, dicam, ſed recenſere numerando vellem. Non eſt autem neceſſe, ut ſim in apertiſſimis rebus longior. Hoc dicam: tam eſſe iſtum, qui ſeſe grammaticum videri velit, inſcientem, atque ignarum praeceptorum grammaticorum, ut Luccejum, Terentium, Plautum, Ciceronem ipſum denique, qui quotidianis, atque adeo uſitatis

 ver-

verbis comoedias, epiſtolaſque texendas noſcerent, [1] epiſtolas, comoediaſque texuiſſe verbis minus uſitatis putet. De Pomeo *probabiliſta* quod *pag.* 71. *exempli* profert, ne fando quidem umquam acceperam. Atque eſt profecto ridiculum, ut qui Pomeus rhetoricam ſemper docuit, his habere inter Theologos dicatur locum. Quamquam facile patior, ut iſti talis Theologus ille ſit, qualis & habitus antehac eſt, & duci etiamnum ab omnibus rhetor ſolet. Sed neſcio, quid ſit, quod ibid. τὸ *inuſitata* diverſis characterum formis exhibendum curaverit. An barbaram eam eſſe putavit vocem? Sed Cicero, qui lib. 1. ep. 1I. ad Q. F. p. 30. T. x. *inuſitate* ſcripſit, vidit profecto, dici etiam τὸ *inuſitata* poſſe, idque in libris *de Orat. ac de Finibus* demonſtravit. Mitto quod queritur [2], injuriam abs te fuiſſe factam Nocetio, quem egiſse (*pag.* 52. *ep.* 1.) teſtare fide non bona. Nam id ad me nihil attinet. Sed vereor, ne qui ſcriptorum loca, quae ipſi minime faverent, aut diſſimulavit, aut ſuppreſſit, quaſi nuſquam extarent, aut torſit, atque implicavit, is egiſſe, ut ſcribis, *fide* haud ſatis bona, videatur. De Theatro, quae mox turbat, cum ad inſtitutum non pertinent, tum ſunt refutata egre-

(1) *Vide Cicer. lib.* IX. *epiſt.* XXI. *ad famil. p.* 307.

(2) *Lagom. ibid. pag.* 70.

egregie, atque exploſa a Concina [1].

XLII. Eſt autem illud etiam, atque etiam conſiderandum, commiſeris ne ſoloecíſmum, quo loco ſcripſiſti (*p.60.*) *propiorem* tibi *ad veritatem* videri Concinae, quam Tamburini *ſententiam. Veritati enim*, vel *veritatem*, non vero *ad veritatem* te ſcribere debuiſſe cenſet [2]. At miror hercle quid ſit, quod cum Salluſtio (in Fragm. p. 166. *Edit. Pariſ. ad Uſ. Delph.*) *propius ad arma civilia* dicere ſine ſoloecíſmi nota, ignominiaque licuerit, tibi non liceat *propiorem* dicere *ad veritatem* ſententiam. Quid? ſoloecíſmi ne reum aget Tacitum, propterea quod *fidem ad fallendum propiorem* (*lib.* II. *Hiſt. cap.* VIII.) commemorarit? Etſi minus grave fortaſſe, tamen reprehendendum etiam illud eſſe retur; quod habes *pag. 66. adhibendam fidem*. Etenim *habendam eſſe*, non *adhibendam fidem* ſtatuit, teque proinde ad Alvarum rapit judicem, *adhibere fidem* non idem eſſe, atque *alicui credere*, ſed *uti erga aliquem fide* pugnantem. Sed ſine, obſecro, de te ut iſte expoſtulet, tibique vitio det, quod, invito Alvaro, ſcripſeris *adhibendam fidem*. Modo enim ſequutus Ciceronem, atque Nepotem fueris, quid iſti conlectores prae-

(1) In opere italico *de Theatr. pag.* 219. *ſeqq.*

De verbis: *propior ad veritatem*: & *adhibere fidem*.

(2) *Lag. p.* 73.

ceptorum grammaticorum miſceant, nihil moror. Eſt autem apud Cornelium Nepotem in Themiſtoclis vita (*pag. 65. Edit. Amſtelod. Janſon. & pag. 15. Edit. Pariſ. ad Uſum Delph.*) *Falſa eſſe delata. Quare aequum eſſe, illos viros bonos, nobileſque mittere, quibus fides adhiberetur, qui rem explorarent.* Et apud Ciceronem *in altero de Divinatione libro cap. lix. pag. 297. Edit. Lamb. & an. 1577.*) *Quod ſi inſanorum viſis fides non eſt adhibenda.* At mendoſe eſt in codicibus quibuſdam Ciceronis *adhibenda* pro *habenda*. Ego vero perſuaderi mihi veterum auctoritate velim, *errorem* in iis eſſe codicibus, in quibus *adhibenda*, non in ceteris, in quibus *habenda* legitur. Argumenta namque in hoc genere controverſiarum, quae non auctoritate veterum ſcriptorum, ſed conjecturis novorum grammaticorum nituntur, aut nullius, aut certe parvi momenti cenſenda ſunt.

De *prae ſe gerere*: & *arcere ſe*.

XLIII. Quid? Si *prae ſe gerere* [1] pro *prae ſe ferre* ab antiquis Latinis umquam fuiſse uſurpatum [2], neget? Quaſi vero omnia omnium veterum verba in numerato habeat, memoriaque teneat, quod quiſque non ſcripſerit ſolum, ſed etiam dixerit. Quam turpiter autem labatur, ex his Cice-

(1) *Dinell.* p. 73.
(2) *Lagom.* p. 75.

Ciceronis verbis cognoſces, cujus iſte ab ſe centies fuiſſe opera univerſa perlecta, praedicat. Ergo Cicero (in 1I. *de Divinatione libro c.* VIIII. *pag.* 72. *Tom.* 1. *Opp.*) *Nam affectionis quidem ratio*, inquit, *perſpicuam ſolet prae ſe gerere conjecturam*. Et (*c.*LII.*pag.*118.) *prae ſe gerit quamdam utilitatem, quo magis expetatur*. Quare Stephanus: *Prae ſe gerere*, inquit ad v. *prae*, *idem ac prae ſe ferre*.

Nihilo gravius eſt, quod jocans inquirit *pag.* 75. ullus ne fuerit auctor latinitatis non malae, qui *pro continere*, *aut abſtinere ſe*, dicendum *arcere ſe* eſſe arbitraretur. Etenim pag.74. ſcriptum abs te animadvertit fuiſſe hoc modo: *a ſacramento poenitentiae arcere ſeſe*. Praeiviſſe autem, dicit, ſanctum Thomam Aquinatem tibi, paucisque verbis, ironia uſus, ludos te, atque illum facere audet. Etſi vero ita ſum affectus, ut patiar S. Thomam nihil quidquam in Latina lingua obtinere auctoritatis; ferre tamen nullo modo poſſum, ut vir maximus a paedagogo derideatur. Sed hac de re alias. Nunc quod ad te attinet, quis non videat τῷ *arcere* ea te fuiſſe ſignificatione uſum, qua uti Itali τῷ *allontanare* ſolent? Hac vero ſignificatione cum Cicero *arcere*

homines ab injuria (I. *de Leg. cap.* XIV. *pag.* 170. *Tom.* III. *Opp.*) & *quae vis eſt, quae magis arceat homines ab improbitate* (*in Paradoxis* III. *c.* II. *p.* 502. *Tom.* III. *Opp.*) dixerit; quid umquam te, quin *arcere ſe*, hoc eſt *allontanarſi*, diceres, deterruiſset?

De partic. *ſin*. XLIV. Pudet me tam inepta perſequi. Sed ut perſequar, cogit moleſtiſſimi hominis importunitas, qui modo nos ad *ſin* expendendum vocat. Non enim eſt credibile, quas turbas (*pag.* 76. *exempli litterar.*) agat, propterea quod *ſin minus*, pro *ſi minus* ſcripſeris *pag.* 78. *epiſtolae prioris tuae*. Teſtificatur, denunciat, ante praedicit, omnes qui Latine ſciunt(niſi litura hoc tam immane grammaticum ſcelus expiaris) diris te Alvariſticis devoturos, neque eſse deinceps rurſum reſecraturos, etiamſi quadringentos illos verſus *Orationis in Piſonem*, quos iſte injuria temporum periiſse vehementer dolet, te eſse reſtituturum polliceare. Ego vero afferri cauſsam vellem, quamobrem omnes, *qui latine ſciunt*, eo abs te loco non *ſin minus*, ſed *ſi minus* debuiſse omnino dici exiſtimaturos, pugnet. Cauſsa autem, ſi qua eſt in hoc genere, non ex iſtius ſimilium, ſed ex libris petenda eſt veterum.

Ve-

Verum ſuo agit more. Nullam profert. Non enim quam proferret, ullam repererat. Fortaſse τὸ *ſin* adhiberi negabit poſse, niſi *ſi* praecedat. Sed neget, ſi poteſt, Plautum, Ciceronem, Caeſarem, Salluſtium ſcivise Latine. Hi autem τὸ *ſin* uſurpant, omiſso τὸ *ſi*, quod iſte, ut praecedat, jubet. Sic enim habent Plautus in *Aulul. Act.* IV. *ſc.* I. *v.* 3. *ſeqq.*

Nam qui hero ex ſententia ſervire ſervus poſtulat,
In herum matura, in ſe ſera condecet capeſſere.
Sin dormitet, ita dormitet, ſervum ſeſe ut cogitet.

Et in *Epid. Act.* IV. *ſc.* I. v. 17.

Sin eſt is homo, ſicut anni multi me dubiam dant.

Et in *Milit. Glor. Act.* IV. *ſc.* VIII. *v.* 27.

Sin magis vis, ambos mittam.

Et in *Pſeud. Act.* I. *ſc.* III. *v.* 20.

Ballio. Puere. *Pſeud.* Accedamus hac obviam. *Ba.* Juppiter te perdat, quisquis es.
Pſ. Te volo. *Ba.* At vos ego ambos. Verte hac te puere.
Pſ. Non licet
Colloqui te! *Ba.* At mihi non lubet.
Calidorus) SIN tuam eſt quippiam in rem?

Et

Et in Perſa Act. II. *ſc.* II. *v.* 45.

Sophoclidiſca. Habes neſcio quid. *Paegnium.* Ne me attrecta ſubigitatrix. *So.* SIN te amo?

Et in *Rudente Act.* II. *ſc.* I. *v.* 10. *ſeq.*

Poſt id piſcatum hamatilem, & ſaxatilem aggredimur.
Cibum captamus e mari. SIN *eventus non venit.*
Neque quidquam captum eſt piſcium, ſalſi, lautique pure
Domum redimus clanculum; dormimus incoenati.

Et in Trucul. Act. I. *ſc.* I. *v.* 16.

SIN *jecit rete, piſcis ne effugiat cavet.*

Et *Act.* I. *ſc.* II. *v.* 10. SIN *videant quempiam ſe aſſervare.*

Cicero *in lib. de Amicit. pag.* 482. *T. III. Opp. Quamobrem primum danda opera eſt, ne qua amicorum diſſidia fiant. Sin tale aliquid evenerit &c.* Caeſar *lib.* V. *De Bello Gallico c.*XXXV. *pag.*103. *Edit. Pariſ. ad uſum Delph. Quum in eum locum, unde erant egreſſi, reverti coeperant, & ab iis qui ceſſerant, & ab iis qui proximi ſteterant, circumveniebantur. Sin autem locum temere vellent, neque virtutis locus relinquebatur &c.* Salluſtius *in Bell. Catilin. pag.* 42. *Edit. ad uſum*

uſum Delph. Pariſ. Quid autem acerbum, aut nimis grave eſt in homines tanti facinoris convictos? ſin quia levius eſt. &c. Confer *Bellum Jugurth. pag. 57. & pag. 93. & pag. 102. & pag. 111.* & *Fragm. pag. 168.* Nepos denique in Ageſilao *pag. 85. Edit. Pariſ. ad uſ. Delph. Uterque ſuum retinebat ordinem. Primum ratio habebatur, qui maximus natu eſſet ex liberis ejus, qui regnans deceſſiſſet. Sin is virilem ſexum non reliquiſſet. &c.* Quamquam hoc etiam certum eſt, te etſi non probante, tamen non animadvertente, quod ſcriptoribus perſaepe evenit, ſi praeſertim feſtinanter agant, *ſin* pro *ſi* in eum tuae epiſtolae immigraſſe locum. Atque eveniſſe idipſum Grammatiſtae tuo, intelligis tu quidem ex *pag. 34. exempli litterarum ad Johannem Vincentium.* Nec enim attribuendum typographo eſt, ac ſi is *exceptiones generales* pro *exceptiones a regulis generalibus* loco indicato *exempli* poſuerit. Quod ſi danda iſti venia eſt, quod etſi graviter peccavit, celeritate tamen uſus fuerit ſumma, cum ſcriberet, quid eſt quod dandam iſte tibi non arbitretur?

De errore typographi, qui *fore*, quod deletum, a Dinellio fuerat, tollendum non putavit.

XLV. At lapſus turpiſſime (1) es *pag. 96.* in qua ſcriptum reperitur hoc modo: *Quod ad nos attinet, confido fore, tibi meum conſilium*

(1) Vid. Lag. *ibid.* p. 76.

lium probatum iri. Verum quis tua legens, non plane perſpiciat, typographo id eſſe erratum adſcribendum, non tibi? Cogitare igitur debebat, id quod res fuit, deletum abs te fuiſſe τὸ *fore*, *ut tibi meum conſilium probetur*, ejuſque loco fuiſſe ſcriptum, *tibi meum conſilium probatum iri*; ſed typographum, qui τὸ *meum conſilium probetur*, ut par erat, ſuſtulerat, oſcitantem reliquiſſe τὸ *fore*, idque te poſt publicatam epiſtolam, ſed fruſtra animadvertiſse, quod ademta tibi illius delendi poteſtas eſſet. Verum quamquam haec viderat Lagomarſinus, tamen ut eſt rei cujuſque ſimulator, atque diſſimulator, quaſi non vidiſſet, tacitus praetermiſit, ut occaſionem arriperet vexandi, atque deridendi tui. Quod quidem inſtitutum perſequens, modo ludificatur te (ſed quam facete, viderit ipſe) modo te ipſum, Concinamque doctiſſimum abs te graviſſimumque virum (*pag. 90. epiſt. ad Nocet. I.*) appellatum, acriter inſectatur, ac lacerat, idque liberius ut faciat, Johannem Vincentium his ad ſe verbis litteras ſcripſiſſe fingit: „ Videtur mihi multo gra„ viſſimos, atque turpiſſimos Fr. Vincen„ tius M. meus ſoloeciſmos fecisse, qui „ quidem ne in nova mea editione compa-

„ reant

„ reant, omni mihi erit animadverſione „ providendum. Concinam graviſſimum! „ Concinam doctiſſimum! Concinam Chri„ ſtianae religioni imprimis utilem! An „ non in quatuor affirmationibus his toti„ dem ſoloeciſmi, iique ex peſſimo, vitio„ ſiſſimoque ſoloeciſmorum genere in„ ſunt? Etſi enim ſubſtantivum cum adje„ ctivo nomine & genere, & numero, & „ caſu, minime tamen, quod mendoſiſſi„ mum eſt, re, & veritate concordat „. *Salſe* profecto, facete, ac *grammatiſtice* plane dictum! Scilicet cum maledicus videri aliquando nollet, maledicentiſſimum ſibi amicum eſſe mentitus eſt, itaque inflammatus, virus omne in te, optimumque virum Concinam evomuit livoris, & acerbitatis ſuae. Sed de his fuſius agere non vacat, quae in altero Concinae de Theatris libro exploſa ſunt.

XLVI. Redit ad nugas Grammaticorum, atque [1] *utrum hoc*, vel *illud* dictum abs te eſſe, ait, abſurde [2]. Sed quam vehementer erret, oſtenſum paullo ante eſt auctoritate Quintiliani. Addit continuo *parvi referre* pro *parvi pendere* uſurpatum abs te fuiſſe in eodem epiſtolae prioris loco. Sic enim ſcripſiſſe te; *Decet enim eum, qui ve-*

De partic. *utrum*: & de *parvi referre*.

(1) *Din. p.* 90.

(2) *Lagom. p.* 83.

veritatem ex animo quaerit, utrum in ſuis vel in extraneis reperiatur, utrum ab ſe, vel ab alio proponatur, parvi referre. Verum quotus quiſque virorum litteratorum eſt; qui periodum illam tuam legens, ſi bona agat fide, non fateatur, omiſsum typographi negligentia *τὸ ſtatuere*, aut *τὸ cogitare*, quod tu adhibueras, fuiſse; quorum verborum ſi alterutrum adjunctum fuerit, nihil in ea eſſe oratione vitii ſuperfuturum? *ſtatuere, utrum in ſuis &c.*

De ſpiſſis Concinae voluminibus. XLVII. Extremum quod eſse in tuis litteris emendandum cenſet [1], illud certe eſt, quod habes *pag. 92. de ſpiſſis* Concinae voluminibus. *Spinoſis*, inquit, *ſive ſpurcis, ſive ſputatilicis* non *ſpiſſis* voluiſſe te dicere. De *Benzii*, vel de *Guimenii*, vel de *Sancheſii* voluminibus exiſtimat loqui te, quae *ſpurca* voces. De Concinae autem libris doctiſſimi, graviſſimique Theologi magnifice, honorificeque loquuti ſunt, nihili ut iſtius grammatici judicium ſit pendendum. Jam vero miſſo *τὸ ſpiſſis*, quaſi a nemine veterum uſurpatum fuerit, (cum tamen Cicero *in* 1I. *ad Q. Fratrem lib. Ep.* XIII. [2] ſic habeat: *ſcribebam illa, quae dixeram πολιτικά, ſpiſſum ſane opus*) male te *dum neque novum, neque inauditum eſt,*

(1) *Lagom. p.* 54. *ſeqq.*

(2) *Pag.* 65. *T.* IX.

eſt, ſcripſiſſe, & *cum*, vel *quum*, vel *quoniam*, non *dum* debuiſſe ſcribere confirmat. Sed vincat *quando*, vel *cum* ſcribendum fuiſſe a Caelio (*Ep.* XVII. *inter Ciceronianas lib.* VIII. *ad Familiares pag.* 277. quo loco: *dum mihi*, inquit, *pacis mandata das ad Caeſarem, & mirificum civem agis*) (1) tumque te totius eſſe Latinitatis imperitum vincet. Jam facile perſpicis, Dinelli, nihil te in ſermonibus, atque in epiſtola priore tua verborum, atque phraſeon, non ex veterum Latinorum conſuetudine, uſurpaſſe. Nam quae Lagomarſinus errata numeravit, omnia quidem certe illius eſſe propria oſtendi, non tui. Niſi forte illud unum de *ſatago*, quod *pag.* 9. *prioris ſermonis* cum infinitivi modi verbo junxiſti [2] excipias; quodque eſt vitio, quibuſdam *Probabiliſtis*, quorum tibi verſandi libri fuerant, tribuendum. Nam haerent animo interdum, dumque, aut loquimur, aut ſcribimus, neſcio quo tandem modo, ne conſiderantibus quidem nobis, excidunt, nonnulla, quae in aliorum libris legimus, eorumque praeſertim, qui etſi male de moribus, vulgo tamen ſcripſiſſe Latine creduntur non male.

(1) Vide *Nep. in Chabria pag.* 60.

(2) *Vide Lag. Ex litt. p.* 24.

De Lagomarſinianis quibuſdam nugis diſſerit, poſtremo, valere juſſo Dinellio, abit.

XLVIII. Nunc, ſi otium eſſet, quae ille, quam graviter contra veterum grammatico-

eorum praecepta peccarit, oſtenderem. Hoc breve ex te quaeram, *epiſtolae vacantia ſpatia, nulla Thomae Sirleti ſcriptura exarata, in quibus quae ſequuntur ad breviarii Romani correctionem pertinentia* Guillelmus Sirletus *ſua manu perſcripſit*, vetus ne aliquis Romanus auctor dixiſſet? Negas tu quidem. At dicit tamen Lagomarſinus *pag.* I. *Adnot. ad epiſt. Gratiani*. Quid? A Pontifice, eum, cui bene precetur, *luſtrari* ne *pia precatione*, cenſen' Ciceronem fuiſſe ſcripturum? Non hercle cenſes. Luſtrari enim idem atque expiari eſt. At ſcribit Lagomarſinus *pag.* LXIX. *earumdem Adnotat. Salutiferae*, inquit, *Crucis ſigno* (me) *pia cum precatione luſtratum*. Sed fortaſſe aliquid admiſerat grave, cujus cauſsa expiandus exiſtimaretur. Age qui eo genere verborum ſcribendo utitur, quae cum *aequivoca* dici ſolent, tum ſi adhibeantur, maximam injuriam graviſſimis viris, honeſtiſſimiſque matronis inferunt, quanam tibi poena videtur dignus? Paedagogi profecto, quem adoleſcentulum his uti noverint, in gurguſtium, quod iſti vulgo *camerino* vocant, conjicere conſueverunt. Sane bene. Jam is de doctiſſimo, eruditiſſimoque praeſule Furiettio ita loquitur, ac ſi non Latinam mo-

modo, ſed etiam Italicam linguam neſciat. Ut enim cum tanto viro ageret, opus ſibi fuiſſe, ſcribit, interprete: *Interprete*, inquit [1], *apud eum ipſum ampliſſimo item praeſule Franciſco Xaverio Zeladio ... uſus.* Quinetiam matronam incredibili honeſtate, virtute, religione *cupidiſſimam viri* eſt auſus dicere? At matronam, quae maritum diligat, cupidiſſimam eſſe viri (*ſui* nempe), & interpretem eum, quem vulgus *interceſſorem* appellat, cum veteres interdum dixerint, dicere ſcriptori novo, quis vetet? Sed ſcin', quid rei ſit? Graviter, acerbeque Auguſtus tulit, quod Cicero, eum eſſe *laudandum*, *ornandum*, *tollendum*, dixiſſet. Nam τὸ *tollendum* dubiam eſſe vocem noverat, quae ut *extollendum laudibus*, aliquando, ſic etiam aliquando *occidendum* ſignificaret. Ac vereor, ne ob id etiam verbum Cicero infortunium tulerit. Sed deſino. Tu interea, vide quid ſis facturus. Non enim decet, ut eum qui invectus vehementiſſime in te fuerit, impune ferre patiare. Haec ubi adoleſcens diſputavit, valere me juſſit, atque abiit.

(1) Pag. LIV. Adnot. in Ep. Gratian. de jul. Pogiano.

XLIX. At ego, qui te plurimi facerem, malui omnia negligere, & ſi a me ſtaret auctoritas horum ſcriptorum, non intelligere videri,

Sed Dinellius reſpondiſſe, ait, adoleſcenti ſe, credibile non videri Lagomarſinum quidquam

in eo genere peccaſſe. Itaque grammatice grammaticam obedientiam jurat, grammaticorum principi, Lagomarſino.

deri, qui eſset ſenſus earum locutionum, quam de regia tua grammaticali dignitate quidquam detractum velle. Itaque reſpondi; credibile mihi non videri, hominem tam ſtudioſum linguae Latinae, qui annos ipſos triginta Ciceronem legiſset, & magno hiatu quotidie Ciceronis infinitos libros edendos polliceatur, numquam edat, ita errafse, ut quae Tullii, aut Caeſaris eſſent, negaret eſſe Latina, tum praeſertim, cum alium corrigeret, atque emendaret. Hoc enim primum reprehenſoris eſt, ut diligenter caveat, ne ullo ſuo peccato impediatur, quo minus alterius peccata demonſtrare poſſit. Quid quaeris amplius? Ut certamen tecum non inirem, malui tibi, quam his meis, quam Tullio, quam Caeſari, quam ceteris, quorum illi exempla luculentiſſima afferebant, fidem habere. Quid? Num tu primus grammaticorum eſses, qui ſcribendi modos horum auctorum reprehendere auderes? Scioppius ſane reprehendit. Eraſmus etiam. Quanto tu magis talis, tantuſque grammaticus? Itaque in ſententia permanſi: tuque, Lagomarſine mi, accipe palinodiam mere grammaticam, quam conceptis verbis juro. Teſtem voco Alvarum, teſtes presbyteri Martinii manes, te-

teſtem genium illum, in cujus tutela grammatici hujus aetatis ſunt, quem te eſſe puto, te, inquam, ipſum teſtem appello, juroque, peccaſse me peccatum maximum in arte grammatica. Fateor me ignarum eſse artis Latine ſcribendi, fateor me longe inferiorem eſse omnibus veſtris Latinis ſcriptoribus etiam temporum ſuperiorum, quorum tam magnum numerum habetis. Nam tibi grammaticorum regi, ac pene dixerim, Deo cultum, atque obedientiam grammaticam omnem polliceor, neque umquam ſcribam, imo ne hiſcam quidem, contra abs te latas grammaticas leges, quas ratas habeo univerſas. Quod tibi, in re grammatica fuerit perſuaſum, mihi erit perſuaſum: quod tibi fuerit probatum, mihi erit probatum. Ita juro, & ſi fallo fidem, Orbilii omnes, te duce, atque ſignifero, in me impetum faciant, meque miſerabiliter perdant, non recuſo.

L. Habes, Lagomarſine mi, palinodiam grammaticam, quam oro ut aequo, libentique animo ſuſcipias, eamque ceteris triumphis tuis annumeres. Hoc enim mihi turpe non eſt, modo, ut dixi, me quoque aggregari Thuano, Gratiano, & Auctori Noctium Sarmaticarum velis, quibuſcum non

Hortatur tamen Lagomarſinum, ut ſcribere deinceps paullo gravius, atque ut decet hominem chriſtianum, velit.

ſum omnino conferendus. Atque utinam, ſicut me hoc nomine tibi obſtrictum profiteor, ita grati animi, & obſequii erga te mei argumentum aliquod dare liceat. Repraeſentabo tamen, quod potero, teque rogabo, ut bonam in partem accipias duo, quae pro amicitiae jure monere volui. Et primum quidem non a me proficiſcitur, ſed a doctiſſimis, optimiſque viris, de quibus audivi, ut dicerent, quidquid abs te ſcriptitatur, eſse illud quidem ad grammatices perpendiculum exactum, ſed aridum, exſuccum, inaniſſimum omnium rerum. Laudant quidem verba Latina omnia, & quidem Ciceroniana, pulcherrima, ſed Ciceronis vim copiam, nervos deſiderant. Ajunt eſſe in tuis ſcriptis quemdam Latinitatis colorem, ſed negant eſse illum optimum, de quo apte, ut ipſe ſcribis, loquitur Philippus Bonamicus civis, & amicus meus, atque etiam tuus, propterea quod fuit praeco laudum tuarum, eo libro, quem elegantiſſimum edidit, de Claris Scriptoribus Pontificiarum Epiſtolarum. Sed cur in ipſo eodem libro non animadvertiſti, quod quidem, paullo antequam de colore Latinitatis loqueretur, ſcripſit de Laurentio Valla, aliiſque grammaticis? Ait enim, *fuiſſe exi-*

exiſtimatores magis metuendos Latinitatis, quam ſcriptores mirabiles. Hoc enim mire in te cadere dictitant, qui faſtidioſe expendere ſoles momenta verborum omnium. Itaque concludunt te ſcriptorem optimum verborum eſſe, non rerum. Sed orant, obſecrant, obteſtantur, ut tantam verborum Latinorum copiam, omnes loquendi modos, omniaque ſtili ornamenta, quibus abundas, ad rerum gravitatem, ſapientiamque convertas. Quis non rideat cum legit Ciceroniana illa tua verba magnifica, & reſonantia, quae adhibebat Cicero conſul in concione, in ſenatu, quum ageret de ſalute reipublicae, & de imperio totius orbis terrarum, translata ad ſcholas veſtras, atque ineptias pueriles? Quam Tullius pro domo ſua orationem habet, eam ferme tu habuiſti pro ſcholis publicis. Quid ineptius quam, quae ille maximus conſul, tot, tantiſque rebus geſtis clariſſimus pro domo ſua ſcripſit, eadem te ad ludimagiſtrorum dignitatem (ſi qua in ludimagiſtris eſſe dignitas poteſt) ridicule detorquere? Itaque gere morem viris graviſſimis, amiciſſimiſque. Scribe res, non verba. Aggredere magnum quoddam opus, quod tibi glorioſum, quod Eccleſiae utile ſit. Habes exempla

maxima, quae tibi ante oculos proponas; Petavium, Sirmondum, alioſque pene innumeros (quos non eſt neceſſe commemorare) in quorum ſcriptis eminet ſolida doctrinae effigies. Quod ſi forte tanti non es, ut magnum quiddam ex te concipere poſſis, cur (quando te Graece docere ajunt) cur aliquem Graecorum Eccleſiae Patrum non Latine vertis? Cur tamdiu occuparis in rebus grammaticis, in quibus cum me, aut alium profligaſti miſellum ſcriptorem, profeciſti nihil? Hoc te admonent, Lagomarſine mi, qui ſane diligunt, tuaque cauſſa velint omnia. Quamquam deſperant, poſſe te quidquam ſcribere quod ſubſellia grammaticorum non redoleat. Thuanus enim, *incorrigibilis* ineptiae ex paedagogia contractae characterem vel longiſſimi aevi curriculo deleri numquam poſſe cenſet. Id ſi ita eſt, potuiſse, ajunt, te, non libellos meos, qui tam exigui ſint, ſed magna Suareſii, Molinae, Valentiae, Vaſqueſii volumina emendare, in quibus maximam barbariſmorum, quos notares, inveniſses profecto copiam. Atque id ſi feciſses, non minus tuis, quam tibi te fuiſse ſatisfacturum. Haec illi. Audi nunc, quod ipſe ego meo quodam jure (unicuique enim mandavit Deus de

pro-

proximo ſuo) amice, & chriſtiane te admonendum exiſtimavi. Legi tuarum litterarum ad Johan. Vincentium Lucenſem exemplum, in quibus me vocas ſtultiſſimum pag. 30. inſaniſſimum pag. 31. in trivio natum, in fornice educatum pag. 36.

Equidem fateor propter errores grammaticos illos, quos notaſti, commeruiſse etiam plus me: do etiam aliquid conſuetudini grammaticorum, qui non ſolent, ut dixi, leviter adverſarios pungere, ſed crudeliſſime diſcerpere. Tamen ego, pro ſalute animi tui ſempiterna (audi theologum amantiſſimum tui) te hortor, &, ſi vis, prope etiam moneo, ut paullo plus chriſtianae modeſtiae, & charitatis tuis in ſcriptis adhibeas. Memento, te non ita Ciceronianum eſſe oportere, ut chriſtianum eſſe obliviſcaris. Cogita te non eſse ſolum grammaticum, ſed religioſum virum, & quidem Jeſuitam, ejus ſcilicet familiae alumnum, quae in adverſarios ſuos infinita, ut ferunt, dedit exempla manſuetudinis, atque bonitatis. Noli imitari Zaccherium, qui dum partium ſtudio abreptus, in perridicula illa ſua hiſtoria litteraria ſuos ſemper laudat, noſtros deprimit, illud eſt aſsecutus, ut probabiliſta fortaſse bonus, hiſtoricus certe malus

lus habeatur. Imitare potius P. Julium quem, mortuum licet, amicum meum honoris cauſsa nomino: imitare Galeottum, Contuccium, Mazzolarium, alioſque, qui ita dant operam humanioribus ſtudiis ſuis, ut nulli moleſtiam creent. Nam, quod ais, omnibuſque declaras, te adverſus me ſcripſiſse, inductum maledicentia ſermonum meorum, ut tuae Societatis dignitatem defenderes: primum nego, & quidem diſerte, me ſermonibus illis univerſam veſtram Societatem, vel uno quidem verbo laeſam voluiſse. Non eſt otium de ſingulis locis horum Sermonum, quos deſcripſiſti, tibi reſpondere. Sed ſi quis eos attente legat, neque rapiat in pejorem partem, confido, immo certo ſcio, eum nihil reperturum, quod offendat bonos, & univerſam familiam veſtram. Num Sancheſius? Num Tamburinus? Num Buſembau, aliique e grege caſuiſtarum eſt univerſa Societas Jeſuitarum? Quid Ghezzius? Quid Gagna? Quid Sanvitalius? Nonne Concinam ſcriptis divexarunt ſuis? Neque tamen quiſquam noſtrum univerſum ab illis Dominicanorum Ordinem appetitum dixit umquam. Niſi forte ita comparatum putas eſse, ut nobis liceat, vobis non liceat eum, contra quem ſcribitur, a ceteris ita ſecer-

nere

nere, ut non omnes laceſſiti videantur. Eſto autem me in ſermonibus illis modeſtiae fines eſse praetergreſsum. Jam enim, quidquid juveniliter ſcripſi, ſcriptum nolo, jam poenitet, jam pudet. Num tu igitur tot, tantiſque contumeliis afficere me debuiſti? Injurias (1) injuriis rependi oportere, cre-

(1) *Lagomarſ. pag. 37.* „ Vix edito libello tuo, ejus eſt „ ad me unum exemplar Luca Florentiam allatum, & auctoris „ nomen ab eo, qui attulerat, indicatum. Scis, quid & de „ libello, & de auctore ſtatim ad Cl. virum Johannem Domi„ nicum Manſium ſentire me ſcripſerim. Nam quum epiſto„ la, quam ad eum de ea re dederam, illi incedenti per Urbem „ (*At Lucae tunc erat, non Romae Manſius. Cur ergo in„ cediſſe eum per Urbem Lagomarſinus ſcribit?*) neſcio quo „ caſu, jam a ſe lecta excidiſſet, ad te perlata eſt; tuque „ quod eam reſignatam videres, putaſti probabilioriſticis tuis „ argumentis adductus (*ego certe probabilioriſticis argumen„ tis adductus, epiſtolam, quae ad me erat miſsa, legi; ſed ut „ cognovi eam ad me non pertinere, religioſe ei, cujus erat, „ reddidi, neque quidquam eorum, quae continebat cui„ quam ſcripſi. Sed Lagomarſinus* probabiliſticas *rationes „ ſequutus, fas ſibi putat eſſe* de proximo, *contra atque & ca„ ritas, & veritas poſtulat, judicare*) multo eſse probabilius, „ multoque in praxi tutius licere eam tibi, antequam, ad „ quem miſſa eſſet inſcriptio declarabat, remitteres (*quis „ ſuſpicari potuiſset, conſcio Manſio eam ad me miſſam non „ fuiſse epiſtolam?*) non modo legere ſemel, & iterum uni„ verſam (*jam hoc item falſum eſt*) verum etiam, quae „ in illa ſecretiora erant, ea ad amicos quoſdam tuos, quos „ meminiſſe debes (*ego certe meminiſse earum rerum non „ poſſum, quae numquam evenerunt. Sed grammatico, qui „ ſe probabiliſtam haberi velit, fingere, ac falſa praedicare „ fas eſt*) tum ad abſentes per litteras deferre. Scis puto haec „ omnia ſcire me (fingere, comminiſci, *non* ſcire *voluit di„ cere.*) *Pergit porro; atque paullo poſt, bis me maledictis „ inſectatur.* Commiſſum facinus a pudenti exprobratore, „ SCE-

credo te non didiciſse a Chriſto. Multo autem minus didiciſse credo, te illud mihi crimini dare, quod numquam admiſi. Nam quid tam falſum, quam tuas ad Manſium litteras, ab eo reſignatas, legiſse me, ſecretiorumque rerum, quas continebant, amicos, qui Romae verſabantur, feciſse certiores? (1) Sancte teſtor, eas litteras jam a Manſio, ut ſcribis, lectas, neſcio quem, reperiſse, atque ad me, incluſas alteri epiſtolae, miſiſse, quae ſic habebat: *De te, Dinelli, his in litteris agitur. Itaque ad te mittendas putavi, ut cognoſcas, quae ſit Lagomarſini de ſermonibus tuis ſententia.* Quid autem feciſsem? An litteras, quas ad me miſsas vidiſsem, legendas non putaſsem, ut quo ſpecta-

(1) Vide *Lagomar. exempl. epiſt. p. 37.*

„ SCELERISQUE poenas a poenitente repetere, noſtrae
„ humanitatis eſſe non duximus . . . Quod tu in nos SCELE-
„ RATE, STULTISSIMEQUE feciſti. . . CALUMNIAS
„ TUAS refutare, CONVICIA retundere coarguere MEN-
„ DACIA, CALUMNIATOREM TE, CONVICIA-
„ TOREM, MENDACEM oſtendere . . . Tanto tuo FLA-
„ GITIO deprehenſo &c. . . . De tuo tanro SCELERE . . .
„ LIBIDINEM tuam, ac PETULANTIAM . . . jamdiu
„ tibi debitum SUPPLICIUM . . . quam tu non modo IM-
„ PUDENS, ſed etiam STULTUS, atque AMENS es?
„ Nam quid fieri aut cogitari STULTIUS, atque AMEN-
„ TIUS poteſt, quam in ipſo ſeveriſſimorum judicum con-
„ ſpectu SCELERIS ATROCISSIMI eſſe ſe reum, idque
„ ipſum gloriantem confiteri „? Sed reum me ſceleris convicii, calumniae &c. neque confeſſus ſum, ac ſi me Deus adjuverit, non committam, ſpero, uti me confiteri oporteat.

ctarent, cognoſcerem? Quis enim ſuſpicatus fuiſset, eas excidiſse per urbem Lucam incedenti Manſio? Sed ubi quid rei eſset animadverti, ad eumdem continuo Manſium ſcripſi, *ſibi ut caveret. Vereri namque me, ne minus fidis familiaribus uteretur; qui ſi quid in ejus cubiculo reperirent, ſurriperent, atque ad alios mitterent*. Hanc ego epiſtolam, in qua litteras tuas illas occluſeram, obſignatam eidem reddi curavi. Scriptum autem a me Romam cuiquam amicorum numquam fuit, legiſse eas me; aut vidiſse quidquam in tuis ſcriptis eorum ſecretorum, quae tamen cujuſmodi eſſent, non indicas, ſimile. Deinde nego, nulla in iis litteris fuerunt, ut dicis, ſecretiora. Nam quotidiana illa quorumdam veſtrorum de Dominicanis Bajaniſmi, aut Janſeniſmi ſuſpectis in ſecretioribus rebus, qui numeraſſem? Sed fac laeſerim ſocietatem; quid? An auctor Noctium Sarmaticarum Sermones ullos in Societatem veſtram conſcripſerat? Et tamen quam contumelioſe irruiſti in hominem doctrina, & dignitate praeſtantem. Eſt enim Examinator (quod ajunt) Epiſcoporum, cujus tu muneris dignitatem, ſi minus alia multa viri ornamenta, revereri omnino debuiſti. In quo libello tuo, quod Pau-

Paulinum Chelluccium avunculum, & civem meum abunde laudaſti, ago gratias; quod vero ejuſdem Paulini ſodalem tam illiberaliter appellaſti, laudare non poſsum. Sed ut ad me ipſum revertar: ſermones illos, ut tibi libet, vitupera. Scito autem alias eſse nunc cogitationes meas, aliud quaeri a me, aliud agi. Meum, immo noſtrum eſse debet saniores Chriſti doctrinas defendere: opiniones nimio plus laxas coercere. An non vides, ut mores hominum in deterius prolabantur? Ut religio deformetur? Ut haeretici triumphent? An tu optimum factu putas, ſi late diſseminentur perniciosae quaedam opiniones, quae chriſtianae virtutis nervos elidunt, quae religionis ſemina praefocant? Verum curandum ſit grammaticarum aeque ſtudium controverſiarum. Cur

Bella geri placuit nullos habitura triumphos?

Suſcipiamus conjunctiſſimis animis ſanctiſſimae religionis defenſionem, & ejuſdem religionis tamquam arcem, saniorem doctrinam defendamus. Piget (mihi crede) defendere cauſsam Concinae licet optimam, veriſſimamque, contra Nocetium ſocium, & amicum tuum. Nam cum evicero, Concinam in afferendis auctorum pro-

probabiliſtarum locis,non erraſſe(quod certe evicero)quid proficiam?Nam cauſſa,quae agitur, vix quidquam habet utilitatis. Cauſſa,quae melior,quae optima eſt,relinquitur. Quae autem nulla eſt, niſi (quod dixi, dicamque ſemper) ut evulſis ab animis hominum falſis quibuſdam, pernicioſiſque ſententiis, peſtis chriſtianae reipublicae, ſi minus comprimi poſſit, ſaltem reprimatur. Oblata nobis, oblata vobis divinitus occaſio eſt bene de catholica Religione merendi, ſi veram Chriſti, atque Evangelii doctrinam nobis ab antiquis Sanctis Patribus traditam, hiſce praeſertim tam corruptis temporibus, atque moribus, pro virili parte defendamus. Vale, Lagomarſine mi, & tibi perſuade, quae monui, a chriſtiano, & benevolo animo profecta fuiſse, atque aequi, bonique conſulenda.

LI. Obſignata jam epiſtola, redditus mihi ab Aegio eſt libellus Zaccherii Ruſi rabulae ſatoris litium perpetuarum, qui inſcribitur: *Giudizio degli autori della ſtoria letteraria intorno l'ultimo libro de' Teatri del P. Daniele Concina indiritto dal Signor Conte D. R. al Signor Abate O. B.* Editum eſt id opuſculum Venetiis hoc ipſo anno 1756. Itaque de hoc item, in quo utriuſque noſtrum

Redditum ſibi ab Aegio Zaccherii librum Dinellius dicit eſse, de quo etiam ſibi nonnihil ſcribendum ſit.

ſtrum ſit mentio, eſse nonnihil ad te perſcribendum duxi. Jam ex inſcriptione vides, repente Zacchierum factum Comitem. In Germania cum eſset Baronis, credo, liberi ſuſtinebat dignitatem. Atque communis eorum haec ratio eſt, qui in Concinam ſcribunt, ut Marchiones ipſi, Barones, Comiteſque vel fiant, vel cum nemine ſibi, niſi cum Baronibus, Comitibus, Marchionibuſque agendum putent.

Redargui Concinam ab Zacchierio, quaſi, oppugnato Maffejo, clareſcere inimicitiis tanti viri voluerit. Id eſſe falſum Dinellius oſtendit.

LII. Eſt autem is ſodalis tuus tam confidens, ut id ferre ſe putet, quo (verbum frigidum, te ſequutus, dicam) quo, inquam, caret (*giudizio*); ac ſeſe reperturum lectores ſui ſimiles ſperet poſſe, qui Concinam, ut magnis inimicitiis inclareſceret de *Theatris* iterum contra Maffejum, Blancum, Tartarottum agere inſtituiſſe arbitrentur. Quaſi vero notum, pervulgatumque non ſit, virum ſummum, qui apud omnes maxima in celebritate eſſet, non eguiſſe, ut famam ſibi nominis pareret, inimicitiis antiquariorum, quorum facultatis ſe penitus expertem profitebatur. Nominat praeterea Rufus alios, neſcio quos, homines, quos clariſſimos vocat, quoſque eamdem ob cauſſam fuiſſe a Concina vexatos pugnat. Suo ſcilicet agit more. Modo ab libris Concinae perlegen-

gendis, unum aliquem deterrere poſſit, nullam eſſe veritatis rationem habendam ſtatuit. Quo animo, Concina fuerit, quam ab inani gloria libero, quam cupido procurandae ſempiternae aliorum ſalutis, & ſuae, quem fugiat hominem, qui ipſum noverit, eſſe ſcimus omnino neminem. At erat Maffejus firmamentum [p. 8.] *Italicae litteraturae*. Jam hoc alii vehementer negant. Quamquam ut verum ſit, facile equidem patiar. Verum, quid hoc ad rem? Concina non de antiquitatibus Romanis, aut Graecis, non de grammaticis, non de poetarum ſtudiis diſputat, quo genere ſunt, qui Maffejum plurimum apud Italos valuiſſe ferant. De theologicis, quae ad recte inſtituendos mores præſertim pertinent, diſſerit, quæ Maffejum ne primis quidem labris attigiſſe conſtat.

LIII. At non erat proinde Maffejus maledictis proſcindendus a Concina. Quis negat? Verum oſtendat litterator locum aliquem Concinae, quo contineatur, non dicam *la portentoſa maldicenza*, quam idem fingit, sed verbum ullum, in quo ſit ſpecies aliqua contumeliae. Cum autem afferre nullum poſſit, & haec tamen confidenter jactet, quotum quemque futurum arbitratur, qui ipſum non malevolentia, ſed ſtudio ve-

Negatque ullam a Concina fuiſse Maffejo factam injuriam.

veritatis permotum appuliſſe animum ad ſcribendum putet? Nam locus, quem profert (p. 9.) ex epiſtola Concinae ad Maffejum anno 1750. data, quam fuerit Concina a conviciis adhibendis alienus demonſtrat: *Io*, inquit, *ho ſempre pregati*, *e dirò provocati quelli*, *contro a' quali ho ſcritto*, *che mi additino una ſola parola d' ingiuria*, *ò di ſtrapazzo contro alle perſone*, *con promeſſa ferma di volerla ſubito ritrattare*, *eſsendo perſuaſiſſimo*, *che così debba fare ogni criſtiano*, *non che ogni religioſo*. Sed vide, obſecro, acumen chriſtiani hiſtorici. Quod vir ille pius, ac vere chriſtianus candide, ut debebat, ſanctque ſcripſit, id iſte pervertit, turbat, miſcet, atque eo infacete contorquet, ut paratum fuiſſe Concinam, mentiatur, *una parola*, ſi ſola, non autem ſi *aliis contumelioſis* juncta eſſet, revocare.

Maffejum negat fuiſſe Theologum. Oſtendit, Concinam injuria fuiſſe ab Zacchierio accuſatum ſuperbiae.

LIV. Sed Concina minus in theologicis, ſacriſque litteris fuiſſe Maffejum verſatum ſcribit *pag*. 220. *pag*. 235. p. 236. p. 257. Quaſi vero injuriam ei quis faciat, ſi in iis eſſe rebus minus exercitatum dicat, quas vix attigerit. An tu ſutorem, qui pingendi facultatem numquam ſit aſſequutus, & agere tamen de pictura velit, injuria affeceris, ſi moneas, ut ſutor cum ſit,

in

in ea ſe, quam norit, arte exerceat? Longe eſt gravius, quod addit (p. 11.) Concinam, cum Maffejum a doctiſſimis viris oppugnatum narraret, ſe ipſum appellaſſe doctiſſimum. Quam de ſe abjecte ſentiret Concina, nos ipſi novimus, quibus diu, ſumma noſtra utilitate, cum eo verſari obtigit. Itaque viderit iſte, ſi Deo placet, hiſtoricus, quam recte, quamque *chriſtiane* de religioſiſſimo viro, pioque imprimis, judicet. Eſt autem falſiſſimum, quod idem adjungit, ſolum Concinam in Maffejum de uſura ſcripſiſſe. Nam & ſcripſerant ante Ballarinii fratres ſpiſſum de eodem argumento opus, & libelli aliquot vulgati deinceps ab aliis ſunt, quos hiſtoricum litterarium non vidiſſe, vix eſt credibile.

Nihil unquam convicii Concinam Maffeijo dixiſſe; ac fide non bona Zacchierium de Concinae dictis agere, demonſtrat.

LV. Pag. 12. *Haereticum* fuiſſe a Concina Maffejum vocatum defendit, propterea quod Maffeji ſententiam de *gratia* cum Pauli, atque Auguſtini eadem de re doctrina pugnare animadverterit. Quam id ſit falſum, ipſe per te cognoſcere poteris. Quis enim ignoret, id theologos contra eos, quos refellunt, catholicos viros perſaepe agere, ut horum doctrinam uni alicui loco ſacrarum Scripturarum, aut Patrum veterum adverſari ſtatuant? An haereticos inde quiſ-

quam ab theologis illis catholicos hoſce viros eſſe vocatos, efficiet? Legat Tournelii, legat Suareſii, legat Vaſqueſii opera, facileque perſpiciet, hujus rei exempla in iis non pauca extare. At *erraſſe* graviter Maffejum affirmat Concina *pag.* 230. Quid? An hoc item convicii loco habendum, eſt? Numquam ne hiſtoricus ſuos adverſarios graviter erraſſe dicit? Injuria, credo afficere voluit Bertium, cum tot illius graviſſima, ut nugatur, errata recenſeat, Verum hac de re alias. Jam quid illud eſt, quod habet *pag.* 13. cenſoris neſcio cujus hortatu deleſſe Concinam haec verba,*che non sa*.An eſt id etiam ei viro dandum vitio, quod ſive aliorum hortatu, ſive ſponte ſua emendarit, quae acerbius in aliquem dicta viderentur? Qua vero fide mox Zacchierius litterator addit, Concinam, *nella ſua eſemplariſſima ritrattazione* fateri, *di aver calunniato il ſuo proſſimo*, *per eſſere il poverino di deboliſſima viſta*? Ecquandonam ille *Retractationem della Teologia Criſtiana* edidit? *Declarationem* ne, quam ille Pontifici obſequuturus vulgavit, Zacchierius eſſe *Retractationem* inſcriptam contendet? Deinde veracem ne hiſtoricum putem eſſe eum,qui fateri Concinam teſtetur,

quod

quod numquam eſt faſſus, immo vero quod ſemper vehementiſſime negavit Concina? At is neſcio cui Maffejum attribuiſſe *colla ſolita ſua franchezza* haereſim de gratia neceſſitante adjungit. Quid? Hoc item convicium, auctore Zacchierio, eſt? Quis eam haereſim a Maffejo *con franchezza* fuiſſe Migliavaccae attributam neget? Tamenne clara, aperta, teſtata quae ſunt, ea litterator involvi ab ſe, & quaſi tenebris obduci ſperat poſſe? Quodſi vocabulum *franchezza* contumelioſum eſt, cogemur nos quidem Zacchierio contumelioſi eſſe, quem incredibili confidentia(*franchezza*)ſcribere certum eſt.

LVI. Pag. 14. ſic ait Concinam *Tractatu de Theatris pag.* 233. habere: *Se il P. Concina aveſse adulterati fatti così manifeſti, non ſi laſcerebbe veder dal pubblico.* Deinde adjungit Zacchierius: *Triſto chi li crede. Ne ha adulterati a migliaja, e pure non ſi è ito ancora a naſcondere.* Hoc abs te quaero, Lagomarſine, ut explices, convicium ne Concinae facere Zacchierius, nec ne voluerit? Nam, ſi noluit, cur convicium factum a Concina Maffejo ſcribit, quaſi *adulterati* ab eo fuiſſe *fatti manifeſti*, dixerit? Sin autem haec de Concina ſcribens: *ne ha adulterati a migliaja*, convicio inſectari

Zacchierium quae dicat, neſcire, neque quidquam eorum teſtimoniis evincere poſſe ſtatuit.

K 2 voluit

voluit Concinam, qui tandem conviciator conviciatori crimini vertet convicium? Quam optarem tamen, ut e tot millibus locorum, quos ab Concina vitiatos jactat, unum ſaltem commemoraſſet. Ac niſi millia illa protulerit, ſic ei confirmo, atque recipio, iſtud me genus litteratorum in calumniatorum numero habiturum. Qui namque loci producti ab Nocetio, atque ab aliis ſunt, eos ego poſt Patuzzium demonſtravi ſumma fide ab Concina, ſummaque diligentia fuiſſe deſcriptos. Pudet me bonum otium in hiſce litteratoris nugis proponendis conterere. Quare mittam ceteras quae ſequuntur. Sunt enim his paucis, quas propoſui, leviores.

Convicia, quae Zacchierius in Concinam conjicit, numerantur.

LVII. Collige nunc animo, etiam atque etiam conſidera moderationem hiſtorici litteratoris, qui Concinam eorum, quae deſcripſi, verborum cauſſa, maledicum conviciatorem vocat. *Che aria!* inquit, de Concina eodem loquens (pag. 14.) *che parlare di un.. a un letterato, e ſignore*. (Pag. 18.) *Noi vorremmo ſapere dall'* ILLETERATO FRATE *da qual Priore abbia egli avuto la facoltà di graduare in converſo dell' Ordine o ſia torzone il Signor Marcheſe Maffei* (Nam *laicum* Concina Maffejum, hoc eſt

non

non clericum appellaverat, id quod res erat). *Qual* FRATESCO *riſentimento ſarebbe egli mai queſto di gittare in ſul viſo a un letterato, ch' ei non ſia chierico, nè* FRATE. *Pag.* 19. *Ma noi leggendo* (nella pag. 287. del libro del P. Concina: alcuni non potranno contenerſi dalle riſa, e compatiranno la ſemplicità dello ſcrittore) *queſte ed altre infinite ſomiglianti eſpreſſioni* (quid ſit in illis *eſpreſſioni* convicii, neſcire ſe ajunt, qui animo tranquillo, atque pacato legerunt) *ingiurioſiſſime, ſtrapazzantiſſime, villaniſſime, ſtomacantiſſime, in una parola concinianiſſime... compatiamo vivamente la malignità di queſto Scrittore rendutoſi per la ſua* PROBABILIORISTICA MALDICENZA (animadvertte Zacchierium eſſe *probabiliſtam*, quare haec haud maledice ſcribere. Os durum!) *conſiſtente non in una ſola parola d' ingiuria, e di ſtrapazzo: l'* ODIO, *e l'* INFAMIA *dell' univerſo, e ci maravigliamo con tutte le perſone ſagge, e dabbene come ſiaſi tardato tanto a ſtrappargli di mano la penna, con non permettergli di ſcrivere.* Quod omnes, Sociique ipſi expetunt, ut ne facultas Zacchierio deinceps hiſtoriam ſcribendi detur, id Zacchierius optatum ab ſe, boniſque, nempe minime malis, omni-

 bus,

bus, ait, fuiſſe de Concina. Poſt ea de Millante & Carattino,& ceteris Dominicanis recoquens, quae a Patuzzio fuſiſſime confutata ſunt, ad defenſionem Theatri venit, atque epiſtolam quamdam, quam vivus Maffejus nunquam eſt auſus publicare, pag. 43. ſeqq. proponit, attribuitque BENEDICTO XIV. P. M. atque explicare (contra ac Sanctiſſimus Pontifex in opere de Synodo explicarit ſeſe) non dubitat. Inde de te, ac de Concina pag. 54. diſſerens: *Del ſolo padre Lagomarſini*, inquit, *di cui abbiamo ſicuri riſcontri, ch' ei ſi voglia mantener ſaldo nel ſuo antico proponimento di non degnare della ſua lettera, non che di riſpoſta gli ſcritti di autori* FANATICI. (Jam hic neminem adhuc fuiſſe tua quidem opinione fanaticum arbitratur. Nam omnibus ſemper reſpondiſſe te; immo omnes te provocaſſe conſtat, ut in te ſcribere aggrederentur) *e per profeſſione* MALEDICI.. (p. 57.) *Ecco le parole del gran* BACCALARO *in Teologia*. (Deſcriptiſque Concinae verbis, qui te annos ipſos triginta in ethnici Tullii operibus pervolvendis conſumſiſſe adfirmat) *qui ſotto*, inquit, *ci debbe eſſere del miſtero, e noi crediamo, che il P. Concina abbia voluto rendere ſoſpetto* de fide *il P. Lagomar-*

ſini

ſini per la converſazione di tanti anni con un pagano. Nae is temere judicat de Concina. Quin etiam nos nihil tale optimo viro in mentem veniſſe credimus. Illud Concina voluit, quod te a Praepoſito Generali Societatis Vicecomite aliquando audiſſe accepimus. Nam hunc narranti longa oratione tibi, quantum & operae, & temporis in Ciceronis operibus legendis, expendendis, interque ſe conferendis triviſſes; meminiſti his verbis, ut ſolebat, graviter reſpondiſſe: *Penſi Padre, quanto ella abbia faticato per un autore, che ſta a caſa del diavolo*. Non enim fas eſſe viro religioſo arbitrabatur, hominis ethnici volumina tamdiu, tanto labore, tantaque aſſiduitate pervolvere.

Pergit porro, ac *pag*. 59. *Circa il ſapere*, inquit, *o non ſapere il Lagomarſini di Teologia, di Scritture Divine, di Concilj, di Padri, diremo, ſenza eſitare* (jam hoc illi ſolemne eſt, ſive enim bene, quod perraro evenit, ſive male loquatur, *ſenza eſitare* loquitur. At conſcius ipſe es tibi, vix annis tribus, ac perfunctorie, ut ajunt, dediſſe te operam Theologiae. Quare, cum lineis 26. in Adnotationibus ad quintum Sectani Sermonem p. 26. quidquid de Gratiae Au-

xiliis didiceras, comprehendere ſtatuiſsès ; lapſus es undecies graviter. Principio enim a nonnullis tantum in invidiam fuiſse olim vocatam ſcripſiſti ea de re Ludovici Molinae ſententiam : cum a pleriſque vocata fuerit. Inde defenſam a Societatis Jeſu doctoribus coram tribus Summis Pontificibus Sixto V. Clemente VIII. & Paulo V. dixiſti : cum ſatis explorate liqueat, nullam coram Sixto V. aut Sixti tempore fuiſse iiſdem de rebus habitam congregationem. Tertio *vere* fuiſse défenſam affirmaſti : quod falſum eſt. Notum eſt enim, quid de ea Clemens VIII. & Paulus V. cogitaverint. Quarto paucis *quibuſdam Catholicis invitis, Lutherianis, Janſenianiſque multum frementibus*, hodieque eam defendi jactaſti:cum magnum eſſe numerum catholicorum, atque horum quidem doctiſſimorum conſtet, qui eam merito reſpuant. Quinto *ſecundum Molinae ſententiam* Pontifices *ſaepiſſime judicaſſe* ſcripſiſti: etſi nullus umquam fuerit Pontifex, qui illius, non dicam rationem habuerit, ſed vel cum ſpecie laudis ulla meminerit. Sexto, mendoſiſſimam hiſtoriam appellaſti eam, quam Jacobus Serry de *Auxiliis* edidit, quod eſt falſiſſimum. Septimo invictam vocaſti confutationem Eleutherianam, cujus

ne

ne inſcriptionem quidem vidiſti. Nam ſi vidiſses, numquam profecto in eum errorem incidiſses, ut coram Sixto V. habitas fuiſse Congregationes arbitrarere. Octavo duobus tomis hiſtoriam Serry fuiſse ab Eleutherio oppugnatam ſtatuiſti: cum tomi alterius pars maxima non contra Serry, ſed contra alios ſcripta ſit. Nono hiſtoriam eamdem Serry fuiſse magnam partem a Queſnello conſarcinatam dixiſti: quod nullo modo potes efficere. An opus a Queſnello conſarcinatum non fuiſset proſcriptum decreto Apoſtolicae Sedis? Decimo clanculum eam hiſtoriam fuiſse vulgatam teſtatus es: quaſi vero non fuerit pars prior operis Eleutheriani vulgata perinde clanculum. Undecimo aut diſſimulans tacuiſti, aut ignoraſti, alteram hiſtoriae editionem adjuncto P. Serry nomine fuiſse Antuerpiae publica auctoritate factam. Hinc vides quanta *franchezza* fuerit Zacchierio opus, ut in Theologorum te ordinem referre auderet.) *diremo ſenza eſitare, ch' egli di tutte e ſingole tali coſe ne ha ſtudiato, e ne 'ſa da poter leggere in cattedra al P. Concina, e gliele ſaprebbe eſporre in amendue le lingue degli eruditi Greca* (Viden' ut aſsentetur tibi? Sed tute noſti,

quam

quam ſis parum in Graecis exercitatus) *e Latina , ma con ſicurezza di non eſsere da lui punto capito nella prima , e pochiſſimo nella ſeconda*. Fateor eveniſse id etiam aliquando mihi. At vereor, ne ipſe quoque ignoraris interdum, quid ſcriberes. *Pag.61*. de me, ac nonnullis aliis noſtrum loquens: *Certi buffoncelli*, inquit, *della sfera del P. Concina, i quali hanno il baco di comparire buoni latinanti, e lo ſon peſſimi, qualora per loro utile ravvedimento, e diſinganno vengono riconvenuti di barbariſmi, e ſolleciſmi chiari, e lampanti* (Jam ex hac epiſtola plane, opinor, intelligis ita ne, an ſecus ſeſe res habeat) *ſi buttano di lancio .. a dar del gramatico* &c. Ibid. de Concina agens, eum vocat *Teologaſtro di deridevole aſpetto*. Pagina porro 64. ſeriem errorum grammaticorum, quos tu in Sermonibus, atque in Epiſtola priore mea notaſti, daturus: *Egli è ben vero*, inquit, *che nel particolare degli errori dal P. Lagomarſini notati nel Latino* DEL FRATE *della ferula, non ci ſarà biſogno di far capo a' manoſcritti per emendarne l' edizioni, eſsendo che ſpropoſiti di quella fatta, e* BESTIALITA' *di tal calibro, non c' è edizione al Mondo così ſcorretta, in cui ſi leggano*. Verum non eſt, cur editio-

tiones operum veterum ſcriptorum & elegantes, & accuratas (in quibus, quae tu errorum loco habenda judicaſti, extant) commemorem, ne actum agam. Pergit Zacchierius, atque: *Errori*, inquit, DEL FRATE *della ferula*. Et *pag. 69. Non è egli ſtato queſto un grazioſo ſpettacolo di vedere un Padre ſottomettere la mano alla ferula di un* FRATE? Neſciebam hercle te *Patrem*, me vero *Fratrem* appellari oportere. Quod namque dicatis *Patres* vos eſse, nos vero *Fratres*, parvi refert. Non enim eſt veſtrum, qui ſitis appellandi, decernere. Nam ſi vos velitis Patres vos appellari, ceteri nolint, nihil agetis. Dicent enim vos *Fratres*, mihi crede, ceteri, invitis vobis. Atque *Fratrum* vocabulum ut *nobis*, ita certe *vobis* ab laicis tribuitur. Quare ſaepe ex iis audimus: *un frate Geſuito*. Itaque ſiquid ineſt in ea voce invidiae, id vobis, nobiſque commune eſt. Quamobrem contemnenda a vobis ea non eſt appellatio, quam declinare etſi conemini, ingratiis tamen retinetis. Neque eo dico, quod non glorier *Fratris* nomine. Quod enim chriſtianum eſt, cur mihi non eſse gloriae ducendum putem? Quinetiam miror, Zacchierium alioſque nonnullos veſtrum, qui ſibi onus in-

inſtituendorum adoleſcentulorum ſuſceperunt, adeo aſpernari quod Chriſtus, quod Apoſtoli, quod Patres, ipſique veſtri initio adhibuerunt;adeoque religioſorum ordinum appellationem contemnere, efficereque, ut qui edocti ab ſe ſint, exemplum tandem imitentur optima quaeque inſtituta deridentium haereticorum. *Pag.*70. *Errori*,inquit, *così palmari*, *così badiali*, *così* BESTIALI. *Pag.* 71 tam infacete nugatur, ut nihil unquam inſulſius aut legerim, aut audierim: *Il noſtro P. Concina ſi ſviene*, *e gli ſta lì lì per caſcare di mano la penna*. *Acqua della Regina*, *ſpirito di meliſsa*... *travede di più*, *e vaneggia*. *Preſto in grazia*. *Prima i polſi*: *poi le narici*: *Indi le tempia*. ..*Ringraziato Dio*. *Il R. P. Concina ſi è riavuto* &c. Nunc equidem intelligo, cur Zacchierius in II. ni fallor, hiſtoriae ſuae *Tomo academicum* ſe *catenatum* fuiſse creatum dicat. *Pag.*75. loquitur gallice,hiſpanice, germanice, moxque de theatro diſserens, adjungit: I *Cattolici diranno vade retro frater*, *nam ſcandalum nobis es*. Hoc catholici numquam dicent, qui ſciant ſpectacula cum Evangelii doctrina componi nullo modo poſse. *Pag.* 85. Concinam vocat *un frate di niun credito*. Poſtremo ut cetera praetermit-

mittam *pag.90.ſeq. Tutti i Religioſi*, inquit, *e i Teologi d' Italia difendono ora perſuaſi dal libro Maffejano, che il P. Concina non ſia quel graviſſimus, doctiſſimuſque vir, chriſtianaeque religionis ſtudioſiſſimus, eique imprimis utilis, per cui il R.P.F. Vincenzio M. Dinelli da Lucca* (Jam ipſe meam Patriam noveram, Zacchierii non noveram. Nunc Patuzzii beneficio novi) *oratore loquaciſſimo ... avealo colle pubbliche ſtampe qualificato... Queſta è la ſanta, la evangelica dottrina di tutta l'Italia? ... ſi riſponderà al ſolito, che queſte evidentiſſime argumentazioni ſono le conſuete declamazioni, convizj, impoſture, e calunnie del P. Concina*. Quid? Si *pag.* 32. de converſis loquens Dominicanorum, inſtitutiſque, quae ſunt de ſervando ſilentio, contemptim, ut ſolet, ſcribat hoc modo: *E che per ſino i converſi, e i* TORZONI *dell' ordine maliſſimo ſoddisfatti, mentre ſtavano per le loro incombenze nelle officine, ſenza aver riguardo alcuno alle regole del ſilenzio, intonavano a tutte l' ore con voci incondite l' antifona, Audite Caeli, & obſtupeſcite*. *Converſos* nobis Latine loquentes praedicat. *Pag.* 34. Majorem in partem Ordinis Praedicatorum invehitur, eumque cum Pilato per ſummam injuriam comparat,

rat abuſus Evangelii loco, hominum profanorum more: *Anzi da' più di loro, non però nè i più dotti, e ſaggi, nè i più ſpecchiati, e religioſi tra eſſi* (impudens certe mendacium) *fu riconoſciuto* (*il* Concina) *abbracciato, e baciato in fronte qual cariſſimo in Criſto fratello, e quale zelantiſſimo promotore* DELLA FRATELLEVOLE *chriſtiana carità, e ſi può dire, che* FACTI SUNT AMICI HERODES ET PILATUS *in illa die*. De veſtris, ſi quis noſtrum ſimile quidquam diceret, quas vos turbas, obſecro, ageretis? En tibi *i tratti della moderatiſſima penna* del R. P. Zacchieri. Sic enim de ſua ſcribendi ratione loquitur *pag*. 8. Verum non pudet chriſtianum hominem tam inſolenter in mortuum ſaevire, totque in eum maledicta conjicere, quot illi ne in flagitioſiſſimos quidem conjicere liceret? Indignum eſt, mihi crede, non Ignatii filio, non chriſtiano modo, ſed etiam honeſto viro, diſſimulare, aut negare quae vera ſunt, implicare omnia, pervertere, in malam partem accipere conari, ut occaſionem illius carpendi, atque lacerandi pares, quem dum viveret, tuum fuiſſe adverſarium arbitrere. Quamobrem cavebis tu quidem, opinor, ne deinceps Zachierii libros, ut ha-

hactenus conſueſti, circumferas, quos, pleni ejuſmodi rerum cum ſint, proſpicias ut detrimento tibi, ita Societati dedecori eſſe poſſe. Iterum vale.

Digitized by Google

F R A S I

Di alcuni antichi ſcrittori Latini notate come errori

D A L

P. GIROLAMO LAGOMARSINI

Ne' ſermoni, e nella Epiſtola prima

D E L

P. DINELLI DOMENICANO

Alcune delle quali ſono riferite, e chiamate beſtialità

D A L

P. ZACCHIERI GESUITA

Nella pagina 65. e ſegg. del ſuo piccol libro intitolato

GIUDIZIO &c.

Fraſi chiamate dal P. Zacchieri *errori*, ovvero *beſtialità*.

C*Atalogo degli autori antichi, e moderni, che le hanno uſate.*

L *Be-*

Idque tibi, *quin neges, aut recuſes &c.*	*Beſtialità* di Plauto, di Salluſtio, e di Terenzio. Vedi la pag. 52. della lettera da noi ſcritta al P. Lagomarſini. Il P. Zacchieri nel Catalogo de' Veſcovi di Cremona *pag.* 10. uſa la medeſima fraſe, e non accorgendoſi cade in una di quelle, ch'egli chiama *beſtialità*. Ecco le ſue parole: *Deſperantis hominis eſt, quin id ullo argumento evincas, tam vetuſtum auctorem erroris inſimulare.*
Is per *ipſe*, o *ille*.	*Beſtialità* di Cicerone, e Terenzio. *Vedi la lett. al P. Lag. pag.* 55. *ſeg.*
Retexere, non già per *retegere*, ma per *commemorare*.	*Beſtialità* di Stazio: *Vedi la pag.* 63. *della ſteſſa lettera al P. Lagomarſ.*
Stemma per *inſigne*.	Vedi i paſſi delle *beſtialità* di Marziale, e di Stazio *alla*

	alla pag. 77. della ſteſsa lettera.
Odivi per *odi*.	*Beſtialità* di M. Antonio, della quale è complice Cicerone, che la riferiſce, e non la diſapprova. Vedi *p. 77. della ſteſsa lettera al P. Lagom.*
In cauſsa eſt, ut &c.	*Beſtialità* di Cicerone, e di altri: Vedi la *pag. 79. ſeg.* della medeſima lettera. *In cauſsa eſse* è fraſe anche uſata dal Facciolati; onde queſto oracolo Lagomarſiniano ha commeſſo, ſecondo ciò, che nel ſuo *piccolo Giudizio*, ſcrive il P. Zacchieri, una *beſtialità*.
Dudum per *jamdudum*.	*Beſtialità* di Terenzio, e di Cicerone. *Vedi la pag. 81. della ſopraccennata lettera.*
Caveto con-	*Beſtialità* di Virgilio, e

giunto coll' infinito, come *ſentire caveto*.	di Orazio. *Vedi la ſuddetta lettera pag.* 81. *ſeg.*
Remanſum.	*Beſtialità* di Cicerone, e di Terenzio. *Vedi la ſteſſa lettera pag.* 82. *ſeg.* Cade di bel nuovo il Facciolati, ſecondo la fraſe Zacchieriana, in una *badiale beſtialità*. E pure queſto grand' uomo è ſtato celebrato dal P. Lagomarſini, e meritava di eſſere nominato nelle *Scorrerire letterarie del P. Zacchieri*.
Aquinus per *Aquinas*.	Vedi ciò, che ſi è ſcritto nella *medeſima lettera pag.* 83. *ſeg.*
Itaque in quel ſenſo, ch' è preſo dal P. Dinelli.	Vedi *la pag.* 86. *della ſteſſa lettera*.
Quod noſtri	*Beſtialità* di Petronio. Vedi

ſatagunt. Vedi *la lettera da noi diretta al P. Lagomarſini pag.* 87.

Demonſtrare plane ad veritatem. *Beſtialità* di Cicerone. Vedi la *ſteſſa lettera pag.* 88. Ma il P. Zacchieri nel ſuo *piccolo Giudizio p. 66.* dice, che quel paſſo di Cicerone ſta così ben adattato alla mia fraſe, *come la ſella al porco*. Non apporta egli la diverſità, che paſſa tra la fraſe mia, e quel paſſo. Io non la trovo. Poichè come Cicerone in quel luogo oppone il *perſuadere ad veritatem*, al *perſuadere opinione*, così io ho uſato il *demonſtrare*, che ſignifica anche ſovente appreſſo gli antichi *oſtendere*, ho diſſi uſato il *demonſtrare* non *opinione*, cioè non con *ragioni probabili*, ma *ad veritatem*, ſeguendo la maniera di eſprimerſi di eſſo Cicerone.

Vel, per *an*. *Beſtialità* uſata da Cicerone,

rone, da Quintiliano, e dal moderno Facciolatti approvata. Vedi *la pag.* 88. di eſſa lettera.

Opus egregium chriſtianae Theologiae invece di *opus egregium de chriſtiana Theologia*.

Il P. Lagomarſini nota queſta fraſe, come errore, perchè pretende, che in genitivo ſi debbano mettere i nomi degli autori, e non delle materie, che ſi trattano. Onde fa sì, che le *Tuſculane queſtioni*, e le *Origini*, e le *Iſtorie*, che ne' Titoli de' libri degli antichi ſi trovano in genitivo, ſieno ſtate autori, e abbiano compoſte delle belle opere. Vedi *la noſtra lettera al Lagom. pag.* 89. *ſeq.*

Abbinc congiunto col tempo futuro.

Lo Scioppio ha provato co' teſti degli antichi queſta tale *beſtialità*, e il Facciolati ha commeſſo una *beſtialità* maggiore, acconſentendogli. Vedi *la pag.* 86. *della ſteſſa lettera*.

Sus, deque.

Beſtialità di Plauto, e di Cice-

Cicerone. Vedi *la pag.* 85. *della medeſima lettera*.

An poterat fieri minus, quam ut ſanus quiſque ita judicaret.

Dice il P. Lagomarſini, che queſta è un Italianiſmo. Il P. Zacchieri lo ſtima *beſtialità* nel ſuo *piccolo Giudizio*. Io ho moſtrato il contrario nella *pag.93.ſeq. della medeſima lettera*.

Voculae aberrationes.

Si prova, che ſia *beſtialità* Latina coll' autorita di Cicerone *pag.* 95. della ſteſſa lettera. Che ſe può dirſi *aberrat oratio*, perchè non ſi potrà dire ancora *aberratio voculae*? Ma il P. Zacchieri, che nella ſerie de' Veſcovi di Cremona fa *correr in fretta* la ſua *diſſertazione* (*Properat diſſertatio p.* 28.) benchè la parola *diſſertatio* in quel ſenſo almeno non ſia Latina, ha tralaſciato di chiamare *beſtialità* queſta mia maniera di ſcrivere.

Siquae per *ſiqua*.	*Beſtialità* uſata da Cicerone, e approvata dal P. Alvaro eroe grammatico del P. Lagomarſini, ora per ſua diſgrazia divenuto vecchio barbogio ignorante, e ſecondo il P. Zacchieri ſoſtenitore di *ſpropoſiti*, *e beſtialità badiali*. Vedi *la pag.* 95. *ſeg. della noſtra lettera*.
Ad exitum uſque hujus univerſitatis rerum.	*Beſtialità* di Cicerone. Vedi *la pag.* 97.
Utrum adoprato ſolo, ſenza l' *an*, che ſeguá.	*Beſtialità* di Cicerone. Vedi *pag.* 98. Queſta tale *beſtialità* è approvata dal *Facciolati*.
Claritas oppoſta *longitudini*.	Si comprova queſta *beſtialità* con varj paſſi di Cicerone: *pag.* 99. *della ſteſsa lettera*.
Haud dubie per *ſenza dubbio*.	*Beſtialità* di Salluſtio, e di Livio. *Vedi la pag.* 101. *ſeg.*

Pre-

Quorſum haec non praeteriret?

Pretende il Lagomarſini, che ſi debba dire *cur*, e non *quorſum*. Eppure Cicerone, e Terenzio hanno commeſſo la *beſtialità* di ſcrivere *Quorſum haec? quia. &c.* Vedi *la pag.* 104. della ſteſſa lettera. Ma il bello ſi é, che il P. Zacchieri ancora cade nello ſteſſo *beſtiale*, *e badiale ſpropoſito nella pag.* 37. *della ſerie de' Veſcovi di Cremona*.

Seorſim per *ſeorſum*.

Beſtialità di Prudenzio: Vedi la *pag.* 106. *della medeſima lettera*.

Gratum habere.

Beſtialità di Plauto. *Vedi la pag.* 106. *della ſteſsa lettera.* Cade nella medeſima *beſtialità* l' autore delle Satire, che vanno ſotto il nome di *L. Settano*, *nella lettera ſcritta a nome dello Stampatore*, approvata, e lodata dal P. Lagomarſini.

Praecavere,

Beſtialità di Plauto, e *di*

ne inducantur &c.	*di Ceſare*. Vedi la *pag.* 108. *della noſtra lettera al Lagomarſini*.
Exomologeſis.	*Beſtialità* Greca ſenza *h*. Il Lagomarſini pretende, che debbaſi ſcrivere *exhomologeſis*. Ma sbaglia. Vedi *la pag.* 109. *della ſteſſa lettera*.
Ne in cogitationem quidem cadit.	*Beſtialità* preſa di pianta da Cicerone. Vedi la *pag.* 110. *ſeg.* della ſteſſa lettera.
Diu ante.	Il Lagomarſini vuole, che ſi debba ſcrivere *multo ante*. Ma gli antichi, come *Suetonio*, come *Gellio*, come *Tuberone*, vogliono piuttoſto eſſere *beſtiali*, e ſcrivere *diu ante*, e *diu poſt*. Vedi *la pag.* 111. *ſeg.* della ſteſſa lettera.
An in ſuſpicionem cadere illi poterat?	*Beſtialità* confermata da Cicerone. *Vedi la pag.* 113. *della medeſima lettera*.

Si-

Fallere per *falleris*. — Simili *beſtialità* ſono uſate da Plauto, da Terenzio, da Luccejo, e da altri. Vedi la *pag.* 115. *della ſteſſa lettera*.

Propior ad veritatem. — *Beſtialità* di Tacito, e quel ch' è più di Salluſtio. *Vedi la pag.* 117.

Prae ſe gerere per *prae ſe ferre*. — *Beſtialità* di Cicerone. Vedi la *pag.* 118. *della ſteſſa lettera*.

Arcere ſe ab aliqua re. — *Beſtialità* ſimili ſono adoprate da Cicerone. Vedi la *pag.* 119. *ſeg. della ſteſſa lettera*. Potea il P. Lagomarſini riſparmiarſi di citare S. Tommaſo. Avea pronte le autorità del Suarez, e del Vaſquez, che pretendeano di ſapere la lingua Latina aſſai più di quel Santo.

Sin, ſenza uſare avanti il *ſi*. — *Beſtialità* di Plauto, di Cicerone, di Ceſare, di Salluſtio, e di altri. Vedi

la

la pag. 120. *ſeg. della medeſima lettera* .

Spiſsa volumina .

Beſtialità di Cicerone. (*Vedi la pag.* 126. della ſteſſa lettera) tralaſciata dal P. Zacchieri, perchè egli pure l'avea adoprata nelle ſue *ſcorrerie letterarie*, dove nomina *ſpiſsum codicem*. Non iſtarò qui a notare gli errori di ſtampa raccolti dal Lagomarſini, e deſcritti dal Zacchieri come *beſtialità* da me ſteſſo commeſſe. Vedi *la pag.* 123. *e* 125. *della ſteſſa lettera al Lagomarſini* .

Aſpetto, ch'egli mi faccia di nuovo da correttor delle ſtampe, ed emendi la prima lineà della pag. 5. 7. &c. di queſta lettera, dove invece delle parole *de Gramm. Quibuſd. Tricis*, lo ſtampatore ha meſſo *De Concin. Fid. & Dilig.* e tolga gli ſbagli dallo ſteſſo ſtampatore commeſſi sì nel porre le virgole, e i punti a dovere, come nel compor le parole in molti luoghi, e principalmente nella

nella *pag.* 13. *not. a*; e finalmente ſchiamazzerà, quando avrà letti nella pagina 139. lin. 15. *Deinde nego*, *&c.* il qual *nego &c.* fu da me nelle correzioni delle ſtampe cancellato, e con tutto ciò non è ſtato tolto dallo ſtampatore medeſimo. Per la qual coſa confidando io nella attenzione, e diligenza del P. Zacchieri, laſcio a lui l'incombenza di farmi l'*errata corrige*.

AP-

APPROBATIONES.

JUſſu Reverendiſſimi Patris Fr. Vincentii Mariae Ferretti totius Ordinis Praedicatorum Vicarii Generalis legimus Librum, cui titulus eſt: *Fr. Vincentii Mariae Dinellii Cathedratici Caſanatenſis Ordinis Praedicatorum ad Carolum Nocetium Societatis Jeſu de Grammatiſticis quibuſdam tricis Epiſtolae*, In quo cum nihil offenderimus, quod fidei Catholicae, boniſque moribus adverſetur, dignum judicavimus, qui typis ederetur. In quorum fidem &c.

Datum Romae in Aedibus S. Mariae ſupra Minervam die 28. Junii 1756.

Fr. Angelus Spannocchi Ord. Praed. Magiſter,& Prior Minervitanus.

Fr. Alexander de Pretis Ord. Praed. Sac. Theol. Lector.

AP-

APPROBATIONES.

JUſſu Reverendiſſimi Patris Joſephi Auguſtini Orſi Ordinis Praedicatorum S. Palatii Apoſtolici Magiſtri, attente perlegi *Epiſtolas duas ad Nocetium, & Lagomarſinum*. Presbb. e Soc. Jeſu ab A. R. P. Magiſtro Vincentio Maria Dinellio ejuſdem Ord. perſcriptas, tantumque abfuit, ut quidquam in eis invenerim, quod cum Religionis dogmatibus, & recta inſtitutione morum pugnet, ut potius admiratus ſim ſingularem Auctoris modeſtiam in rejiciendis iis, quae Lagomarſinianis litteris continentur. Quare dignas cenſeo, quæ typis edantur.

Dabam Romæ tertiodecimo Kalendas Septembris 1756.

Canonicus Aloyſius Ignatius Capriata ex March. S. Juliani J. V. D.

AP-

APPROBATIONES.

Reverendiſs. P. Joſepho Auguſtino Orſi Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtro obtemperans attente legi libellum, cui titulus eſt: *Fratris Vincentii Mariae Dinellii Ord. Præd. Cathedratici Caſanatenſis ad Carolum Nocetium, & H. Lagom. Presbb. e Societate Jeſu de Grammatiſticis quibuſdam tricis Epiſtolae*, in quo, quum nihil invenerim fidei dogmatibus, aut moribus bonis repugnans, typis edi poſſe putabam illum.

Datum ex Collegio noſtro S. Mariae de Victoria apud Thermas Diocletianas Idibus Sept. 1756.

Fr. Eduardus a S. Xaver. Carmel. Excalc. olim Sac. Theologiae Praelect. nunc vero ſupremae Generalis Inquiſitionis Qualificator.

Z

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

0056 52707

Digitized by Google

Mt

Digitized by Google